6
20-b
42

E 7/6

O-b-42-

6
13 F
21
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

Bibliotheca
ri Coll. Rom.
ciet. Jesu

21-6-22

21.7.20
21
6
27

Digitized by Google

CASPARIS KINSCHOTII

POEMATA

In Libros IV. digeſta,

Quorum primus Sacra & Pia; ſecundus Elegias & Eclogas; tertius Res geſtas; quartus Miſcellanea continet.

Omnia ex chirographo auctoris diligenter inſpecto examinatoque edita.



SOC·IESV·B... COLL·ROM
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HAGÆ-COMITIS,
Apud ARNOLDUM LEERS,
CIƆ IƆ C LXXXV.

Digitized by Google

LECTORI

JACOBUS GRONOVIUS,

S. P. D.

ROMA
VITTORIO EMANUELE

Huc ades, ô quemcunque juvat divina
 poeſis,
 Si quis & ingenii divitis uber amas,
Et placidus venam potes adſpectare
 Batavam,
 En tibi, Dædalei perlege mellis opus.
Quod non ille quidem celebris produxit Hymettos;
 Ingenii aſt illo nobilioris ager.
Vera Atthis, medius qui Leidæ ac principis Hagæ
 Trajectique tenet, tota quod Hellas erat.
Naïadumque pater Rhenus, Permeſſidos undæ
 Uberior venis uberiorque Deo,
Ambroſio lepidi laticis luſtravit honore
 Fluminis invergens de meliore cado.
Deque thymo fragrante legens, operique favente
 Pallade (nam tanto numine tantus erat)
Finxerat ingenii Caſpar Kinſchotius arte,
 Nectaris afflatu condieratque ſui.
Eximius Caſpar, quo non maturior alter,
 Atque etiam quo non plenior alter aquæ

Caſtaliæ riguo penitùs ſe infecit amore,
Immerſitve ſacris os puerile vadis.
Ac naſcens Pæana omnem ſic pectore cepit,
Aut tulit ad Muſas tam cito dona ſua.
Huncjuvenes habuere ſuum decus; ille virorum,
Quos tot, quos tantos Parthenopea aluit
Leidenſis, quos Trajectum vicina fovebat
Nomine conſpicuos, conſpicuos ſtudiis,
Multiplicem creſcens potuit traxiſſe favorem:
Publica in hunc unum gratia prona fuit.
Quin etiam externos potuit (mirabile!) cantu,
Doctrina, ingenio, nobilitate viros
Præcipuos, & te, jam tum quoque maxime, major
Mutata generis voce future tamen,
Te, nulli adſimulande, per omnia maxime (quo nil
Ad laudem ſupereſt) te recreare, Chiſi.
Omnibus exemplum referens, quid de indole no-
ſtra
Deberet ſtatui, ſi bene culta foret.
O utinam modo tam præcox fortuna latendo
Vitaſſet, Nemeſi, lumina vimque tuam!
Sed totus qui lumen erat, cujuſque movebat
Ipſa animum & linguam Muſa manumque lo-
quax,
Ad quem ſe totus convertere cœperat orbis,
Num potuit pecudis more latere ſedens?
Ilicet advertit Dea trux, ſeque armat, ut auſit,
Quod pariter plorent mundus & ipſa, nefas.
Ilicet, ah! primis Caſpar Kinſchotius annis
Abripitur ſævæ victima ſtrata neci.
Forma decens, cui nulla Venus, cui nulla Lacæna
Par

Par fuit, in maciem filaque mortis abit.
Et pectus, quod Muſa ſibi, quod Gratia templum
Legerat, id ſubita debile tabe perit.
Cumque illo promiſſa tibi certiſſima laudis
Pignora, & iſta ſpei tanta, Batave, fides.
Omnia vaneſcunt, proque his oblivio mœſta
Et ſtupor & tenebris nubila plena cadunt.
Quid mentis tunc, Dina, tibi, Kinſchotia? nuper
Tam ſine fine gravis, nunc ſine fine dolens.
Te patrii, Caſpare, lares, cognataque proles,
Te numeroſa ſuum flevit amicitia.
Delicias natura ſuas te flevit, & omnia
Lugendi impenſus percipit ecce furor.
Luctiſona te Scaldis aqua, prætextaque terris
Litora mugitu triſte ululante ſonant.
Sibilat Haganum luctu nemus; ipſaque collium
Ardua te planctu concutiente gemunt.
Nec tu (crediderim) magis ah! moriente Petrarca
Pronior in luctum, Sorga, fuiſſe potes.
Cum genitore tamen præ ſe tulit Iſala Rheno,
Uſſerit ante alios quantus utrumque dolor.
Civis erat Rhenus, peregrinus at Iſala; parvus
Et notus minus hic, clarior ille magis.
Non tamen hoc vetuit, quin vinceret Iſala Rhenum,
Et foret in damni cognitione prior.
Vocalis Vlitio Rhenus fuit; Iſala threno
Scheliaco lacrimas Gronovioque dedit.
Heu! quales illi proclamavere ſupremam?
Funeſtus tanquam præco cadente die.
Caſparum, ſua vota, rogant, furibunda poteſne

 Hunc

Hunc ita Pegaſeo tollere Parca gradu?
Caſparum, ſua vota, gemunt noctelque dieſque;
Seque adeo miſeros ſorte rapace quati:
Nec modo tam cari capitis pungente ruina
Adfligi, & ſueta voce carere diu;
Omnia quin etiam ſolatia, tanta beati
Ingenii ſimul & muſica ſcripta rapi.
Heu nimium ſcelerata! nimis cita funera clamant.
Hic vero auditus clamor ubique fuit.
Hic amor, hæc ſævi tam dira doloris imago
Omnibus innotuit, Iſala mœſte, locis.
Impietas ſed dura placet; ſed nemo miſertus,
Conſolaturam nemo paravit opem.
Corporis exanimi ſceletus ſicut abditur antro,
Et tegitur ſaxo vox moribunda gravi.
Sic ſimul ingenium cuſtodiaque impia mentem
Supprimit & tantæ, carmina, mentis opus.
Et neque Gronovius, neque Schelius illa rogando
Extorquere (nefas heu! ſine more) queunt.
Fudiſtis quoties non proficientia verba?
Ad tetricum quoties vana querela fuit?
Tene, ſacer vates, ſera te ferrata tenebit?
Reliquiaſque tui tam premet arcta manus?
Sed premit illa tamen; ſed inexorabile pergit
Volvere conſilium, dum manus illa fuit.
Juris & injuſti atque æqui conſultus iniqui
Incubat, & donec contigit, incubuit.
Tandem commodius cœlo auſpice & auſpice fato
Conſultura feram reppulit hora manum.
Inque poteſtatem grata vice, juſte Rulande,
Vis divina dedit jus patruele tuam.

Juſte

Juſte Rulande, Themis quo vindice ſancta; Rulande,
Quo meditante decus Palladis omne patet.
Ille ſtatim: ſint hæc communia lucra, meamque
Et Batavam, &, mentis cura ubicunque bonæ,
Exſtimulent ſubolem; quin & melioris imago,
O Caſpar, maneat partis & umbra tuæ.
Inter & Henricos (juris legumque Brabantis
Arbiter Henrico quis magis æquus erat?)
Inter Franciſcos (quis in ullis ſplenduit unquam
Pulchrius ingenuæ nobilitatis apex?)
Hos inter, gentis noſtræ memoranda propago,
Doctorum in pluteis ſit tua cera ſuper.
Inter & Aſtræam pollens Kinſchotia Muſa
Edita Caſpari fulgeat ore diu.
Nec mora: ut accedant mox facta puerpera, quærit,
Et digeſturam ſingula quæque manum.
Quidquid id eſt, lector, quod nos impendimus, opto
Ut placeat per ſpem per geniumque tuum.
Fecimus, ut ſeriem capientia ſingula juſtam
Adſpiceres certo quæque locata loco.
Auctoriſque manum ſtudioſe inſpeximus, ut quæ
Ultima mutaſſet, proderet illa typus.
Si bona mens igitur, noſtro gratare labori;
Nec fruſtra impenſum tempus abiſſe puta,
Et ſimul, ô utinam, liquido, Kinſchotia, dicas,
Gens, decora eveniant talia plura tibi!

NICOLAO HEINSIO
SUO
HADRIANUS VANDER WALLIUS S.

QUam lætum mihi accidit, amiciſſime Heinſi, audire & legere ſalvum & incolumem te in Sueciam appuliſſe, divinæ Principis colloquio frui, tam me contra ægre habet, quod hæc ipſa, quæ tamen lubentiſſime tibi præſtatur, neque ſine piaculo omittenda congratulatio animo meo non poſſit non eſſe gravis & luctuoſa. Neque de hac quidquam ambigendum ſupererit arbitror, ubi ſciveris illam, niſi à me præſtanda eſſet, omnino triſtem non futuram. Si enim quod ego facio officium Kinſchotio noſtro, exhibere poſſet ipſe, ad literas tuas reſpondere, meo nomine felicia tibi omnia precari ac fauſta, nihil equidem magnopere conquerendum putarem. Nunc quanquam hoc ipſum ingenti me afficiat gaudio, quod neque cariſſimo capiti deſim neque mihi, certe nimis illætabile eſt non ſatisfieri deſiderio tuo, & quo conſumeris, languori præſens remedium inopportuna fati iniquitate denegatum ab illa, quam maxime iſtud ferre optaſti, manu. Secunda jam & altera labitur ſeptimana, cum ingraveſcere cœpit Kinſchotii malum, & bonum factum ipſi viſum migrare paternum ad larem, ibidemque mollius quam in mercenaria & circa plures occupata domo habendus æquanimiter exſpectare, quid aliquando de ſe æterni numinis clementia decreviſſet. Lectulo plerumque hæret affixus, ſed ab aliquo jam tempore noctes, quas apud ipſum, poſtquam in pejus viſa eſt labi valetudo, alternatim traducimus amici inſomnes, fere placidas agit, animoque valet quantum ullus, multa, quod nihil nos deſperare cogit, ſperans. Tui autem tenerrimo affectu ut meminerit ſemper, haud difficulter tu, cui candidiſſimi pectoris probe nota virtus, mihi credes, qui rogante ipſo hæc ad te perſcribo, & una mitto carmen de pace, additis luſibus etiam prio-

prioribus, ipſaque theanthropologia, quo melius res omnis & ab ovo cognoſci queat.

Dabam Hagæ Kal. Decemb.
CIↃ IↃ C IL.

Ad Eundem

MAjori triſtitia, quam admiratione te afficiet non in opina mors cognati mei & tui ante alios amici, Caſparis Kinſchotii. Obiit heſterno die, hora duodecima meridiana, ſano judicio, & fide Chriſtianiſſima præditus uſque ad extremum vitæ ſpiritum, præſentibus amicis omnibus & concionatore noſtro D. Stormontio, cui in omnibus ſatisfecit. Petebat à me pridie obitum ſuum, ut literas reſponſorias, amicitiæque erga te ſuæ, & quidem inviolatæ pignora, exararem, his ipſis verbis; ſcribes Nic. Heinſio (ego enim infirmus nimis ſum), me, ut vixi, ita mori propenſiſſimi erga illum animi; jube illum melius ſalvere. Dixerat, & prohibebat plura infirmitas. Jam mihi videre videor verba hæc lacrimas extorquere tibi. Sed quid de extorquendis loquor? Non opus eſt amori tuo violentia, ſponte ſua fluent oculi, & flebunt hominem, quem tu unice, & te ille, diligebat. Sine dubio carmine funebri parentabis, quod utinam ad me! da, non indebita poſco, quamvis etiam ſolatiis indigeas: ſi modo tantillum temporis Suecica Pallas concedat. Vive & vale, virorum omnium decus, & me in locum defuncti quamvis indigniorem ſuſcipe. Iterum vale.

Tuus quantus quantus

Hagæ Com. 2. Kal. Jan.
CIↃ IↃ C L.

R. à KINSCHOT.

NI-

AD EUNDEM
JOHANNES F. GRONOVIUS,

S. P. D.

Kinſchotium meritò lugemus, & æternum deſiderabimus. Heu mihi, an tota Batavia hoc tempore damnum majus facere poterat? Sed ita ſemper optimum quemque & mors & Mars oppignorare ſolet. Vale, mi Heinſi, & valetudinem cura.

Daventriæ raptim VII. *Eid. Januar.* CIↃ IↃ C LI.

AD EUNDEM
JANUS VLITIUS S.

Et ſi jam puto aures tuas perculit funeſtus ille de Kinſchotio heu! quondam noſtro nuncius, cujus morte inominatum hunc literis Muſiſque annum auſpicati ſumus. Obiit III. Kalend. Januar. languore conſumptus, animo tamen evecto, judicio integro. Affectum, quo vivus te proſecutus eſt, ad extremam quoque tegulam, & noviſſimum vitæ ſpiritum, ſervavit, ſupremiſque teſtatus eſt tabulis, quibus tibi pignus amoris ſui reliquit. Nec mei non memor fuit. Wallio quoque eodem, quo tibi, elogio legavit Virgilium, Horatium, Terentium, Juvenalem in fol. omnes Reg. Edit. Blaſpilio ex Italicis Davilam & Taſſum ejuſd. edit. Ommerio Plutarchum Gall. & Canæi opera. Hoffero nonnullos Hiſtoricorum Latinorum in fol. quos in univerſum Rulando Kinſchotio prælegaverat. Schelio Ruſioque inſignis notæ librum unum atque alterum. Brielio Borræi opera Belg. aliis quoque alios, atque alia donaria legavit; hærede unico inſtituto Patruo Nicolao Kinſchotio, Delfenſium Syndico. Non multo ante exceſſum tempore

ὁ μα-

ὁ μακαρίτης mihi ſcribi curaverat ſe à te accepiſſe Gratium meum in Reginæ comitatum, quotieſcunque venatum iret, admiſſum. Gratum id mihi fuit, ſed literas tuas videre non contigit. Ex te itaque ea de re quid ſit, intelligere cupio. De editione Poematum Kinſchotii, quæ moriens Wallio commiſit, judicium tuum deſideramus, non quin edenda cenſeas; ſed quo ordine, ac dilectu, deliberatio eſt. Mihi quidem multa immerito ab auctore ſuo damnata videntur. Sed de his ubi redieris, ſi tamen rediturus es aliquando, plenius atque exactius agemus.

Hagæ v I. *Kal. Februar.*
CIↃ IↃ C L.

AD EUNDEM

Clariſſime Domine.

AT hic luctum ipſe meum & complorationem ſuſtinere diutius nequeo. Itane eſt? Ereptus nobis eſt nobiliſſimus juvenis Caſpar Kinſchotius? & ereptæ nobis pariter illæ deliciæ, illæ ſuavitates ingenii, quibus amorem omnium merebatur? Quæ tu illius manibus epicedia, quas lacrimas dabis, ſi cum olim ex Academia Hagam commigrabat, animi tui ſenſum elegis tuis teſtabare? Nunc ah! nunc tibi uſurpare ex vero iſtud licet

Non comiti comes hærebit, viridemque per herbam
Illius alloquio paſcar, & ille meo.

Abiit, abiit ad beatam æternitatem. Mihi quod etiam ad Hadrianum Vallium ſcribo, ingenii illius ac poeſeos inprimis feliciſſime ad ſumma contendentis vix bene cœpto in curſu fracti impetus has de ſtudiorum noſtrorum, niſi altius & ad res æternas proſpiciant, vanitate cogitationes injecerunt.

Ergo ubi ſumma dies noſtros expleverit annos,
Quod ſumus, injectus pulvis & urna teget?
Nec mihi profuerit, quod vates numen habere
Credimur, & divûm proxima cura ſumus?
Nec mihi, quod chartas & chartis digna notari
Nomina poſt cineres Muſa perire vetet?
Si quid id eſt, cari venient ad funera vates,

Et

Et tumulo titulum mæſtaque ſerta dabunt.
Oſſaque præteriens (ſi quis tamen illa viator
Noverit, & Muſæ fama ſit ulla meæ)
Forſitan inſperget violis, hederaque virente
Et leviter, Vates hic quoque, dicet, erat.
Ulterius nihil eſt, quo ſe ſpes ardua vatum
Porrigat: hoc pretio gens operoſa ſumus.
Ah! furor eſt, ſacras aliquod captare per artes
Nomen, & in famam vivere velle ſuam.
Fama perit, pereunt artes, rapit omnia ſecum
Et rogus infelix, & niger ille dies.
Parnaſſi colles, & collibus addita famæ
Limina, laurigeris undique ſepta viis,
Parcite, non ego vos, quanquam mihi carus Apollo
Annuat, inque ſuum me ſinat ire nemus.
Non ego vos hederas, ſi quas meruiſſe putamur,
Non capiti poſco laurea ſerta meo.
Nec ſervant hederæ, nec ſervat laurea vatem,
Et cineres fruſtra ſera corona tegit.

Hos mihi ſenſus injecit acerba Kinſchotii mors, quam tu & Hadrianus Vallius, pro ſingulari in defunctum amore, ſtudiorumque conjunctione, uberioribus lacrimis & epicediis proſecuturi eſtis. At quid ejus libellis quos, cum hic eſſet, prælo jam paratos eſſe ajebat, futurum? Fac, amabo, cum lucem viderint, id ex te intelligam. Neque enim heredes, ut arbitror, ad defuncti commendationem & ſuam, editionis promovendæ curam, poſtremam eſſe volent.

Bruxellis XV. *Januarii*
CIↃ IↃ C L.

C. D. Tibi addictiſſimus
JACOBUS VANDER WALLE.

J. F.

J. F. GRONOVIO V. C.
R. H. SCHELE S. D.

CUm ante duos menſes à vobis diſceſſi, ivi recta ut erat deliberationis, in Welburgum meum, & ibi deinde fere, ſed tamen non diu meus fui. Multum enim boni temporis aliquot quæ me circumſederant nugæ, multum res meæ ſibi vindicaverunt. Vici tamen denique, & me per aliquot dies in literas abdidi. Vix ad homines redibam, cum ecce mihi defertur acerbiſſimus nuncius de morte, heu dura fata! Kinſchotii noſtri. Fero enim, & quî non feram? moleſtiſſime, cultiſſimum illud, pulcherrimum & fere unicum Belgicæ juventutis ingenium, ereptum nobis, ereptum tam præclarum patriæ animum, Muſis delicias ſuas. Hunc nobis fata invidere; illos pene aufert ſeptentrionum Regina. Si vos unus atque alter viri magni non ſuſtineatis labantes hei! literas, quid illis tandem fiet? quid nobis reliquum erit præter illas malas peſtes & opprobria, quæ ſane ſuperſunt, & ut ſibi & ſui ſimilibus videntur, vivunt & canunt? Sed hic communis dolor; proprius iſte & præcipuus meus eſt, quod amiſerim amicum ſenſuum mecum conſenſu & omni conjunctiſſimum voluntate; quod amiſerim abſens, nec adeſſe deficienti, ſatiari complexu, cygneas illas & ſacras voces potuerim excipere, meque ingraveſcente valetudine deſiderarint illius oculi. Scripſerat enim mihi quidam ex amicis ejus, quod ſummo mei videndi deſiderio teneretur. Sed iſtæ literæ ſive errore nominis ſive fato poſt ejus obitum mihi demum redditæ auxerunt tantum doloris acerbitatem. Illius enim, cui nihil in vita negare potuiſſem, nihil ultra rogaturi voluntati non potui ſatisfacere. Sed obduremus. Tecum nunc eſſe, mi Gronovi, & lenire hunc dolorem poſſe valde vellem. Sed prohibent quæ me adhuc morata ſunt negotiola aliqua, &c.

Zwollæ p. n. Jan.
CIↃ IↃ C L.

NO-

NOBILISSIMO VIRO
RABODO HERMANNO
DE SCHELE,
JOH. FR. GRONOVIUS
S. P. D.

ACcepi exoptatas tuas hilari ſane fronte, quaſi quoddam gratiarum ferculum: ſed illæ quamvis nunc quoque tuæ, hoc eſt, amore atque elegantia fragrantes, tamen perlectæ ingenti partim mœſtitia, partim pudore me confuderunt. Quis enim poteſt eſſe dolor gravior nuntiata morte Kinſchotii noſtri? O ſortem aſperam! ô triſte Bataviæ fatum! quæ modo ingeniis florentiſſima, ne illum quidem maturum habere potuit, quo uno tanta priſtina damna ſolabatur? quem clarum & diuturnum contra barbariem & ignorantiam exemplum fore ſperabat? cui in adfluente undique fortuna optime animato longum agmen honorum texebat? quo præſidio ſe aliquando maxime niti poſſe confidebat? Quæ omnia nunc uno ictu jacent everſa atque proſtrata. Etſi autem jam pridem hoc fulmen minabatur peſtifera illa membra depopulans tabes, tamen tam cito decretum iri minime opinabar. Itaque poſtremo colloquio auctor fueram, ut conferret in opuſculum aliquod tot diſertos politoſque verſus, & quicunque demum ſuperveniret caſus, vel hanc ſui imaginem poſteris proderet: quæ nunc avarorum hæredum poſtrema cura, aut ne unquam forſan cura erit. Nos quoque miſeros, mi Scheli, qui tantum auctorem atque teſtem ſtudiorum noſtrorum amiſimus, & nunc propemodum in ſolitudine deſtituimur. Sed ego animum tuum ſatis exulceratum, nec communi tantum noſtro, verum & privato quodam dolore ſcindere & lacerare amplius non debeo. Ille beatus eſt & fortunam evaſit, quæ inter tam pulchra, ſuæ tamen modeſtiæ immemor futura non erat, & pio officio æternum à nobis deſiderabitur, etiam cum mitius lugebitur. Memoria laudabilis præteritorum, cura præſentium. Tu ergo placa animum tuum

&

& compone, & in poſterum hoc patriæ, hoc literis, hoc genti, hoc cæteris tuis atque inter eos poſtremo mihi debere te puta, ut diligentius valetudinem cures, nec fata provoces, ſed tranquillus ſubſequaris, teque non modo tantum, ſed & unicum & incomparabile documentum & decus quam diutiſſime nobis ſerves, &c.

JOH. FRED. GRONOVIO V. CL.
JANUS VLITIUS S.

Cum cogito, quantum me ſemper amaveris, quantoque affectu ſtudia mea proſecutus ſemper ſis, Gronovi præſtantiſſime, pudet me profecto negligentiæ meæ, qua conſuetam illam amicitiæ noſtræ teſſeram obſoleſieri paſſus ſum. Quid enim coloris ſuperſit, quæ veniæ ſpes, toto elapſo anno, & in ſe nunc revoluto, ex quo nullas ad te literas dedi? Hic ipſe mihi aurem vellicavit, & ſolemnis voti atque officii ſimul mei me admonuit, ut ſaltem felicem lætumque tibi ac tuis hunc ipſum, qui auſpicatur, annum, multorumque ſequentium ſeriem, Deum venerarer. Etſi jam puto feralis ille de Kinſchotio, heu quondam! noſtro nuntius aures tuas perculit, cujus proviſa quidem ſed inſperata tamen mors inominata anni hujus auſpicia literatis omnibus reddidit. Ego quanquam paulo ante domeſtico propemodum vulnere, quod genti noſtræ Catſiæ majoris natu obitus fecit, afflictus, hoc tamen penitius animo meo admiſi, quanto interiore affectu & illum ego, & ille me quoad vixit, mutuo amavimus. Pignus amoris ſui ſupremis tabulis mihi reliquit libros omnes Italicos, Hiſpanicos, atque Anglicos, non pœnitendum ſane tale nihil merito nec ſperanti legatum: Heinſio omnes Poetas Latinos: aliis item amicis alios. Jam totus in eo ſum, ut publico teſtificer non tam ut non indignum, quam ut ne ingratum ad extremam uſque tegulam amaverit, &c.

Hagæ Comitatenſis VII. *Kal. Febr.* CIϽ IϽ C L.

M. S

M. S.

CASPARI. KINSCHOTIO. LUD. F

Qui. Ex. Nobili. Kinſchotiorum. Ac. Tot. Magnorum
Fœcunda. Nominum. Familia. Oriundus. Gentis
Suæ. Splendorem. Animi. Atque. Ingenii
Nobilitate. Penſavit

Poſtquam. Linguarum. Literarumque. Humaniorum
Scientia. Non. Perfunctorie. Imbutus. Nec. Non
Jurisprudentiæ. Romanæ. Titulo. Decoratus. In
Comitatum. VII-Virorum. Ad. Pacis. Negotia. E
Fœderato. Belgio. Cum. Summa. Poteſtate,
Legatorum. Adſcitus. Haud. Pœnitendam
Publico. Operam. In. Celeberrimo
Monaſterienſi. Conventu. Per
Triennium. Navaſſet

Seque. omnium. Undique. Legationum. Primoribus
Singulari. Officiorum. Arte. Spectatum. Charumque
Et. Bonis. Omnibus. Amabilem. Reddidiſſet

In. Ipſo. Juventutis. Flore. Summæ. Literati. Orbis
Spei. Ac. Publicis. Votis. Immatura
Morte. Intercepto

Amico. Integerrimo. Suaviſſimo

Optime. De. Se. Merito. Et. Supremis. Quoque. Tabulis
Affectum. Suum. Erga. Se. Teſtato
Janus. Vlitius. Mœſtus. P.

Immortale decus Muſæ vindexque Latinæ,
Lumen Apollinei præſidiumque chori,
Flos ille, haud Batavæ tantum, princepſque juventæ,
Principum amor, docti deliciæque gregis,
Qua tellure ſitus jaceat Kinſchotius, Hoſpes,
Quærere te Phœbus Pierideſque vetant.
Quot modo pacificis permulſit cantibus aures,
Quot populis linguas reddidit ille ſuas,
Tot teſtes laudum, & famæ monumenta relinquens,
Pro tumulo totum, qua patet orbis, habet.

VIXIT. ANNOS. XXVII. MENSEM. I
RECESSIT. IN. PACE. A. D. IIII. KALEND. JANVAR.
ANNO. AERAE. CHRISTIANAE
CIↃ. IↃ. C. IL.

MEMORIÆ

CASPARIS KINSCHOTII

S. F.

JACOBUS GRONOVIUS.

KInſchotî manes (ſeu vos conſortia quondam
Sanguinis ejuſdem cognataque lumina jungunt,
Seu vos heroum chorus alter, ſanctus & ille,
Ille placens quondam, vitæ junctiſſima doctæ
Pectora, nunc retinent, rebus cœleſtibus omnes
Mundanâ minime capiendis mente fruentes,
Purgatamque in Chriſto animam cantumque ferentes
Æterno pariter rerumque hominumque parenti)
Vos mihi, vos nunc ſit poſt tanta ſilentia, veſtri
Poſt bene ſpectatam genii vim, voce ciere,
Voce, pii teſtante animi caſtiſſima ſigna.
Scilicet hoc ſolum eſt, quod ſancte inferre valemus
Scilicet hoc ſolum eſt, quod juſte optare poteſtis.
Funeris hoc ampli titulum, pompæque perennis
Obtineat numerum repetitaque juſta ſepulcri;
Proque tot in vita (proh! quam patriæ illa fuiſſet
Splendida Kinſchotiſque aliis, brumalis ad horæ
Inſtar & in ſpatium niſi perbreve livida Clotho
Contraxiſſet eam?) pro tantis ergo diurnis
Æſtibus ac modo nocturnis, agitantibus illas
Indolis eximiæ dotes, admittite rectas,
Innocuas, quas haud fumus, gravis haud cruor aſper
Inceſtat, ſed lingua favens quas porricit ac mens,
Inferias, votoque precor, ſentite, ſalubri.
Demeruiſtis enim. Vobis ad inania Muſam
Vertere, & in vanas caſſaſque impendere nugas
Laudum humanarum aut ficti mendacia caſus
Ac riſus (ô cuncta levis nimium argumenti!)

Non placuit. Sanctis conſumpta eſt plurima rebus,
Atque ipſum ſublata Deum (divinitus iſtam
Donatam infixamque tibi, Caſpare, ſciebas)
Et vim, quâ cœlum, terras, quâ prælia, pacem
Dirigat, oſtendis majeſtatemque potentem.
Hanc & per morbos, hanc & per funera ſpectas.
Hanc ſimul adverſis mixtam rebuſque ſecundis
Cura tibi cantare fuit. Quandoque propinquis
Aut etiam notis felix tulit impetus almi
Officii plenam mentem diducere, nunc &
Ignotos varia tibi ſedulitate ligare.
Hæc tua quam facilis meditari tentat arundo,
Et meditata fuit? formas ſpecieſque ſonorum
Quam varias tua vena dedit pro pondere rerum,
Utque videbantur momenta requirere ſumptæ
Materiæ? Hæc inter non decipientis acumen
Judicii: hæc inter non deficientis acumen
Ingenii, quantumque ſalis? quam ſcita jocorum
Simplicitas? quam largifluo ſermonis abundas
Nectare? cui vivum robur ſanumque colorem
Inſpirat bene lecta & cocta Auguſta vetuſtas.
Hoc nempe eſt numeris vere omnibus eſſe poëtam.
Hoc eſt flexanima lapideſque feraſque tenere
Orpheicæ ratione lyræ, & compellere cantu
Ad molle humanumque decus. Mea pectora certe
Hæc diverſicolor tetigit chelys, oraque plena
Ad laudes, divine, tuas, Caſpare, paraſti.
Heu modo pro meritis (vereor, ſed abominor) illis
Irrita non ingrataque gratia poſſit haberi,
Hæc, tibi quam ſolidam ac veram præſtamus ovantes,
Reddita quod tarde & poſt terna decennia demum.
Non noſtram obfuſcare poteſt hæc macula mentem:
Nec nos tam fœda, Cariſſime, percute culpa.
Indignas reprehende manus atque invida jura,
A quibus hæc ſuppreſſa diu. Vix paucula mundus
Adſpexit luſtris fere quatuor edita, & illa
(Abſurdus nimium, teſtor, modus) inſtar abacti
Centonis connexa aliis hærere coacta,
Ut ſibi perverſe fatueque placentis inepta

Unius

Unius ambitio, quo ſe jactaret, haberet.
Sic lacer & tantum laudans conſpectus es orbi.
Tempora ſed meliora vide. Complectere non tam
Nominis hæredem, quam venæ divitis atque
Ingenii, Themidoſque Camœnarumque potentem,
Utque tui decoris, ſic æqui omniſque decentis
Artis fautorem, quo conſeſſore tribunal
Legitime juris diſtinguit fata, Rulandum.
Kinſchoti formoſe, tuum cognoſce Rulandum,
Ut quondam teneræ, ſic nunc ætatis adultæ
Cultoremque tui miratoremque laboris.
Sanguinis ille memor juncti, pius ille propinquus,
Ut primum potuit, doctum prodite per orbem
Caſparis monumenta mei ſimul omnia, dixit.
Omnia nunc pateant. Quæ tanta arbitria narras,
O bone! nonne tuis meliora arbitria noſter
Deque ſuis fecit Kinſchotius acria Muſis?
Et quodnam precor illud erit, quod acerba palati
Non poterit facile veſtri faſtidia ferre?
Quæ pars carminis eſt, quæ non arbitria ridet
Iſta? puerne, adoleſcens, an juvenis dedit ætas
Indignum abſurdumve aliquid? Quin omnia proſtent.
Quin igitur proſtent: & nos, exacte liquoris
Aonij, juſtique oris celebrate Rulande,
Conſilium munuſque tuum venerabimur; & vos,
Felices operis, ſtudii vitæque peractæ,
O ſancti manes, ô nunc pietate Rulandi
Denique votorum ſaturi, ſalvere jubemus.
Quum tibi tot fuerint oblata encomia vivo,
Kinſchoti, & ſpecimen Muſæ quodcunque rigatum
Ex torrente tuo plauſum laudeſque mereri
Videris, haud dubita, quin æqua poſteritatis
Neſcia livoris perfectaque gratia cantus
Excipiat celebretque tuos ac mittat in ævum;
Ut ſi non Batavi, ſuboles Kinſchotia ſaltem,
Per cognata tuæ cupiat documenta probari
Sirenis, gentemque ornet par ſemper imago.

CAS-



Aº ÆT.
25.



CASPAR KINSCHOTIUS,

Talis erat, raptus viridi KINSCHOTIUS *ævi*
Pectore qui Muſas, Charites circumtulit on

CASPARIS KINSCHOTII
POEMATUM LIBER I.

Psalmus VIII.

Domine Dominus noſter.

O Quam vaſta per omnium
Terrarum populos didita gloria,
Alti gloria nominis,
Rex æterne tui! quæ ſuper æthera
Fixi neſcia limitis
Velox præcipiti tollitur impetu!
Hæc infantibus indita,
Quos primo querulos limine patriæ
Dulci lacte fovet parens
Nutrix innocui ſedula germinis,
Summi viribus Eloqui
Divinæ melius ſigna potentiæ
Duris mentibus exhibet.
Ipſi, quos rabies præcipites agit,
Hoſtes attoniti ſtupent;
Et, tanquam ſupero fulmen ab æthere
Vibraſſet tua dextera
A pejus meritis ſupplicia exigens,
Perculſis animis ſilent:
Et me dum ſuperas intueor domos,
Ac tot ſplendida ſidera,
Lunãque globum, quo variâ decens
Conſtanter facie nitet,
Et galli reducem cantibus Heſperum,
Formavit tua, præviâ
Nullâ materie, quæ manus omnia,
Percellit pavidum metus;
Et toto meditans pectore gratias,

Sanctos concipiens modos
  Rumpo ſolicitum voce ſilentium :
Quid mortale hominum genus ,
  Quid pars exigui ſordida pulveris
De te , Rex ſuperi ætheris,
  Heu tantum meruit , quem tot honoribus
Tam largâ cumules manu ?
  Cujus te moveat cura ? Tuo cui
Adſis Numine tam favens ?
  Quem rerum Dominum conſtituas, tuæ
Quas fecêre manus ? ſuo
  Qui cuncta imperio ſub pedibus premat ?
Hinc parent animalia ,
  Herbis quanta ſuis paſcua nutriunt ;
Hinc dulces avium chori,
  Quot pennis volitant per liquidum aëra :
Parent agmina piſcium ,
  Quotquot Cæruleis fluctibus innatant ;
Et quicquid mare continet.
  O rerum Pater , O certa hominum ſalus ,
Quàm diffuſa tui patet
  Omnes per populos gloria nominis !

Monaſterii 23. Ianuar. 1647.

PSALMUS XV.

Domine quis habitabit , &c.

QUis, ſumme rector, ætheris ſancti domum ,
  Siona quis tuum colet ?
Qui nec ſceleſti erroris ingreſſus viam ,
  Et ſemitam recti tenet.
Qui veritatem diligit ſimplex, mali
  Nec conſcius mendacii
Calumnias protervus noxias ſerit :
  Nec lædit alterum improbus.
Longe malorum qui fugit conſortia ,
  Nec aſſis unius facit.

Piis

Piis honorem qui benignus exhibet;
  Nec immemor tui datam
Fidem nefando polluit perjurio;
  Damnoſa nec captans lucra
Locat doloſas fænori pecunias;
  Vili nec emptus munere
Sortem caputque vendit innocentium,
  Integritatis aſſecla.
Virtute firmum hac pectus, hâc fiduciâ
  Tutum perire neſciet.

PSALMUS XIX.

Cœli enarrant gloriam, &c.

ÆTher beatis lucidus ignibus
  Et tota tellus quà patet & mare
    Dei tremendi, maximique
      Perpetuo canit ore laudes.
Lux una luci nunciat alteri:
  Nox una nocti nunciat alteri.
    Tractus per omnes una cunctis
      Laus operum ſonat illa terris.
Videſne, ſedem lucidus ut ſibi
  Sol in ſuperno legerit æthere?
    Unde ignibus promat coruſcum
      Purpureum caput, altus orbi?
Qualis jugali veſte nova, novo
  Decens amictu, de thalamo venit
    Novus maritus. Ille curſu
      Gaudet, & aſſiduo meatu.
Orbis remoti finibus ultimis
  Promit, recondit finibus ultimis
    Prælustre lumen. Nulla tellus
      Neſcia tam rutili caloris.
Labis profanæ neſcia lex Dei.
  Hæc imperitis dat ſapientiam.
    Hinc mentibus ſolamen ægris
      Et requies animæ petuntur.

Exemplar æquæ hoc juſtitiæ unicum
Confert timenti gaudia pectori.
O quanta lux hinc, quanta cæcis
Et mediis oritur tenebris!
Timete gentes juſſa Dei, Deum
Timete gentes, jura Dei optimi
Timete gentes. Non refiget
Ulla dies ea, tempus ullum.
Non fulgor auri, non pretioſior
Mari lapillus lectus ab Indico
Non dulcius mel in Sicanis
Figit apes meliuſve cellis.
Hæc memorantem jura mei monent.
Merces paratur digná ſequentibus.
Quem rite labes computantem
Ulla dies videt? O remotas
Tectaſque ſordes elue pectori
Deus, revelle ô quod latet. Impius
Non imperet faſtus ſuperbo.
Sic maneam mihi labis expers.
O ſola menti grata quies meæ,
O liberator pectoris unice,
Audi precantem, ſumme rerum,
Atque humili moveare voto.

PSALMUS XLVI.

Deus noſter refugium, &c.

SUmme Deus, tu perfugium mihi, cum repentè ſurgit
In me ingruentum tota vis malorum.
Auſpice te tuti, tuti duce te nihil timemus.
Non ſi vel ingens eruatur orbis
Sedibus excuſſus propriis; ſimul & profundus æther,
Et tota ponto terra miſceatur;
Rupiſque aëriæ faſtigia ſorbeantur undis,
Monteſque vel radicitus revulſi;
Inſano totum pelagus licet evagetur auſu
Sibi fixum terminum reſolvens,

Per-

Perpetuæ ſedes ubi ſunt, ubi templa ſunt tonanti
Deo ſacrata, non poteſt ruinas
Urbs ſentire malas, quam fluminis impetus beato
Rigat liquore, limpidique fontes.
Illius ut cœlo vox inſonat, ilicet pavore
Inopinato totus horret orbis.
Barbara gens, ignara Dei, tremit, inſolens pavere;
Minæque regum concidunt potentum.
Noſter, io, noſtrum columen Deus eſt, ſuæque plebis.
Venite tantum vultibus propinquis
Aſpectate Dei, gentes, opus. Ille tot trementi
Exempla tanti roboris dat orbi.
Prælia qui cunctis ſua dividit, injicitque terris;
Nutuque firmas diſcutit phalanges,
Tela manu frangens hoſtilia, nec leves pharetras
Et præliantes perdit igne currus.
Terrarum Dominum cognoſcite, mille qui triumphos
Fuſis reducit gentibus ſuperbis:
Cujus honor toto diffunditur, inſonatque mundo;
Qui vota clemens audiit ſuorum;
Regula ſola ſuis certiſſima: ſola ſpes ſalutis:
Arx una preſſis, & levamen ægris.

PSALMUS CXVII.

Laudate Dominum omnes, &c.

BArbaræ gentes populique cuncti,
Sive lux vobis melior refulſit,
Sive mens altis premitur tenebris
Neſcia veri.
Ætheris Regi, Dominoque terræ,
Veritas nunquam peritura cujus
Durat, æternas animis benignis
Dicite laudes.

Psalmus cxxx.

De profundis, &c.

AD te ex profundâ criminum voragine
Vocem elevo, rerum pater:
Audi benignè verba ſupplicis Deus,
Nec deprecantem deſpice:
Si mille labes mille peccandi modos,
Quêis ſe ægra mens contaminat,
Expendere æquâ lance juſtitiæ velis,
Et imputare ſontibus,
Quis, juſte judex, omnium, quot ambitu
Immenſa tellus continet,
Intaminatum purus eriget caput?
Quis audeat ſe ſiſtere?
At quâ benignâ mente, quâ clementiâ
Fuiſſe ſemper ſæculum
Te novit omne, novit ætas quælibet,
Ignoſcis æquus omnibus.
Qui te ſequuntur mente ſimplici, tuæ
Qui ſemitam quærunt viæ,
Sic lætus ergo, ſic bonæ plenus ſpei
Certuſque promiſſi tui,
A te quietem mentis exſpecto meæ,
Æterne cunctorum arbiter.
Non ſic propinquam mente ſollicitâ diem
In ſomnis exſpectat vigil.
Vos alto ab Iſraele deductum genus
Uno in Deo ſpem ponite.
Qui ſolus ægras labe mentes liberat,
Læſi medela pectoris.

PSAL-

PSALMUS CXXXIII.

Ecce quam bonum, &c.

ASpice jucundo quæ gloria ſurgat amori,
Cum ligat unanimes ſtabilis concordia fratres,
Qualiter Aſſyrio perfuſus tempora nardo
Perfuſus faciem, longamque ex ordine veſtem
Adſtat, & exceptos Aaron diffundit odores,
Nec qui fertilibus deſcendit ab æthere guttis
Gratior in riguis Hermi ros conſidet agris,
Aut ubi perfudit juga ſacra liquore Sionis.
Talis amor fratrum, Talis concordia cæli
Æternum ſupera promittit ab arce favorem.

Monaſterii in Weſtphalia, 1646.

Idem Pſalmus à Fabio Chiſio, tunc temporis Nuntio Apoſt. poſtea Pontifice Maximo, quem captus dulcedine genii Kinſchotiani extra urbis Monaſterii mœnia, ubi ſæpius cum illo diſſerere flagitabat, honeſtæ æmulationis ſtimulo ductus, eidem tradidit.

QUæ bona concordes animos, & quanta volu[illegible]s
Ecce manent, habitare fides ſi cogat in unu[illegible]
Non ſecus Aaronis Sacro de vertice fragrans
In barbam, atque imas deſcendit veſtis in oras
Unguentum, aut Hermi ros defluit, atque Sionis
In juga: ſic cœlo Dominus benedicet ab alto,
Concordesque animos æternâ pace beabit.

Extat etiam in Philomathii (Alexandri VII.) *Muſis juvenilibus.*

E CAPITE XI
CANTICI CANTICORUM,
à verſu 10. *ad verſum* 15.

AMica ſurge, pulcra ſurge, deſerens cubile,
Fer huc, amica, ne morare, concitata greſſum.
Hyems abivit, aëremque frigidum reſolvit,
Nihil minatur imber aut noti tibi furentes
Sinumque terra fœta pandit,aureoſque flores
Novumque ver refulget,aliteſque copulantur,
Simulque confident,gemuntque turtures in ulmo
Vireſcit omnis arbor,intumetque læta ficus.
Onuſta gemmulis, odore grata ſtat ſuavi
Beata vitis. O amica ſurge quid moraris?
Veni columba,in aviis columba deliteſcens
Refer micantis aureum jubar,decuſque frontis
Sonumque vocis audiam,modoſque delicatos.

L O T H U S.

JAm ſcelera infandæ gentis, diræque Tonantem
Excierant faſtus Sodomæ: crudelia tandem
Supplicia,ultriceſque placent ante omnia flamæ.
Ille quidem lentus meritas expendere pœnas
Sontibus,& curæ cæleſtia pectora tangunt
Humani generis: ſed enim contemta ſuorum
Conſilia, & leges æterno adamante ligatæ,
Injuſtæ toties paſſæ ludibria plebis,
Irritant mites animos. Stat perdere ſtirpem
Inviſam, inque iras ingentem evolvere Olympum.
Solus, qui tanta ſervari poſſet in urbe,
Lothus erat: non diræ illum contagia gentis
Polluerant: juſſa ille Dei tantum aſpicit æquus.
Ergo, qui meritæ ſuper impendentibus urbi
Cladibus incolumen eripiant,mittuntur Olympo
Æthe-

Ætherei cives. Illis penetralia Lothi,
Et parvi patuere lares. O ſi qua meorum
Victima cæſa manu placuit cœleſtibus aris
Grata, nec inviſo cecidit conſperſa cruore
Lothus ait, ſi juſta peto, ſuccedite tectis,
Syderei juvenes. Sic fatus in atria ducit
Cœli Oratores geminos. It ſedula mater,
Et geminæ properant afferre ſedilia natæ.
Ecce autem ſubito ingenti ſonuere tumultu
Atria, & impulſi concuſſo cardine poſtes
Turba adnitentum immani tremuere fragore.
Fama, peregrinos diverſo à litore Lothum
Veniſſe inviſum juvenes, exciverat omnes
Infandæ cives Sodomæ. Non ſegnior ætas,
Non ſexus, non ipſe pudor remoratur euntes.
Illi ergo inſanas jactant ad Sydera voces.
Siſte viros nobis, hâc qui ſubiere penates
Nocte tuos. Liceat peregrinam agnoſcere gentem.
Siſte viros. Exit foribus poſt terga recluſis
Lothus, & aggreditur multâ prece: parcite, cives,
Nec ſceleris tanti veniat tam dira libido.
Sunt formoſa mihi geminæ mea pignora natæ,
Nullum experta virum, nulli ſociata cubili;
Has capite, hic veſtri ſiſtat ſe meta furoris;
Tantum illis, quos ante domo, tectoque recepi
Parcite, & hoſpitii inviolata relinquite jura.
Turba furens contra: Quis te, peregrine, furentem
Ardor agit? Legeſne alienæ imponere genti
Exul moliris? Meritas, dabis improbe, pœnas.
Sic fati magnis impulſum viribus urgent
Connixi, emotoſque furunt elidere poſtes.
Tum gemini Lothum (dictu mirabile) fratres
Eripiunt turbæ inſtanti, clauſiſque reducunt
Ædibus. At circum, Lotho quæ proxima, turba
Mox caligantes oculos, mox lumen ademtum
Sentit, & ignoto quærit veſtigia paſſu.
Jam certi Sodomæ ſceleratam evertere gentem,
Et totum circum in cineres diſſolvere regnum,

Compellant Lothum comites: ſi forte tuorum
Ullus adhuc ultra ſupereſt, ſeu ſanguine junctus
Seu voto gener, hunc ereptum cladibus educ,
Urbis fata docens. Generos monet ille futuros,
Nequicquam. Surdas monitis ſcelus obſtruit aures.
Prima dies triſtes cœlo dimoverat umbras:
Impiger imperio paret cum conjuge Lothus,
Damnataque abit urbe, pari comitante ſororum,
Et juvenum comitante pari. Sit cura ſalutis,
Lothe, tibi, dixere tuæ. Neu lumina flectas,
Neu tentes oculis horrendum agnoſcere caſum.
Tum fuge planitiem, monteſque accede remotos.
Si placet hoc ſervare caput, ſi meque meoſque
Incolumes tantæ viſum eſt ſubducere cladi,
Lothus ait, liceat triſtes mihi linquere montes,
Ne peream, potius vicinæ tecta Zoaræ
Excipiant profugos. Oranti Nuntius olli
Annuit, & properare jubet, ne juſſa Tonantis,
Et Sodomæ perituræ inſtantia fata moretur.
Sole recens orto pervenit ad uſque Zoaram
Lothus, & hoc uno ſervatam contigit urbem.
Tum Pater Omnipotens diſruptis nubibus ignem
Depluit ultorem, unde omnis Sodomæque Gomorræque
Exarſit regio & totæ cum civibus urbes
Vindicibus flammis uſtæ traxere ruinam.
At male damnatâ commota cupidine pectus,
Immemor ah moniti cæleſtis! reſpicit uxor.
Illi dura ſilex circum præcordia ſerpſit
Protinus, & ſaxo totos induruit artus.
Qualis viva fuit multos intacta per annos,
Vindictæ monumentum ingens, ſtetit alta columna.
Jam dirâ metuens ultra conſidere terra
Lothus abit, monteſque petit, linquitque Zoaram.
Vaſta ſub immenſi prætenta cacumine montis
Expandit ſpelunca latus. Natura miniſtrat
Ipſa lares. Tales naſcentis origine mundi
Indigenæ incoluere domos, cum ſæcula nondum
Artifices noſſent operum, nec dum impia turris

Ne-

Nequicquam humanos efferret in aſtra labores.
Hæc placuit ſedes. Huc ſe cum prole recepit
Lothus,& hoſpitio tuti ſe condidit antri.
Interea ſtygiis excita paludibus, atris
Anguibus impexum quatiens caput, horrida venit
Tiſiphone,inceſtoque afflavit amore ſorores.
Ergo, ubi ferales concepit pectore flammas,
Unanimem major ſic eſt affata ſororem:
Cara ſoror, cernis cineres, mundique ſepulti
Exuvias triſtes: rapuerunt omnia flammæ:
Nec ſpes humani generis ſuper ulla relicta eſt.
Quin etiam defecta patrem prope deſerit ætas;
Aſpice, cara ſoror, qualis jam gloria nobis
Immineat, ſeris cantanda nepotibus olim,
HUMANUM REPARASSE GENUS. Privata ruinis
Terrarum immenſique orbis quæſita per ævum
Laus æterna manet. Sed enim res tanta recuſat
Ferre moras ultra. Quæ ſint facienda docebo.
Nos patrii curas animi, triſtemque ſenectam
Dulcia libantes annoſi pocula vini
Pellemus. Mox primus ubi per pectora potus
Serpet, & anteactæ incipiet revocare juventæ
Gaudia, paulatim inſurgens ego rore madentem
Aggrediar mille illecebris, lectoque reponam.
Quid vinum, quid poſſit amor,junctæque tenebræ,
Deſolata ſuis quid poſcat terra colonis,
Ipſa vides. Fanti minor eſt aſſenſa ſorori,
Et probat hoc pietatis opus, ſcelerataque laudat
Conſilia, & tanti ſperat conſortia facti.
Ut trepido curſu diffugit ab æthere Titan,
Deſtituitque diem, tenebriſque involvere mundum
Nox oriens cæpit, feralia pocula ponunt,
Invitantque patrem, non hic pellacia deſunt
Obſequia, &, pietas ultra quam poſcat, amicæ
Illecebræ. Gaudet Lothus pietate ſororum.
Hoc uno Sodomæ,quod amentque,colantque parentem,
Judicio Lothi, poterant evadere pœnas.
Ille miniſtrato totum ſe proluit hauſtu

Im-

Immemor, infandumque avido bibit ore liquorem,
Inceſtæ votis quantum officioſa ſororis
Verſabat ſine fine minor, dum, pectore curas
Ejiciens, animumque gravem, non debita patri
Obſequia incautus patitur, nullaſque recuſat
Illecebras natæ, totique indulget amori.
Ilicet emoto labuntur pectore ſenſus;
Pulſa fugit ratio: nec jam pereuntis imago
Occurrit Sodomæ, punitaque crimina flammis,
Demtaque pars thalamo, punitaque crimina ſaxo.
Illa thoro victum genitorem imponit, & audax
Vix tandem vacuum mutatæ crimine matris
Occupat ipſa locum, gremioque inceſta parentem
Accipit. Incumbens implet ſua viſcera Lothus.
Nec modus eſt tanto ſceleri. Nox altera crimen
Rettulit. Impatiens ſceleriſque moræque ſororum
Altera, ut optatæ tandem venere tenebræ,
Iisdem armata dolis, parilique afflata furore
Horrendum molitur opus, votique potita
Duplicat infauſti communia crimina lecti,
Unde Moab, natuſque exactis menſibus Ammon,
Matribus inceſtis fratres, patrique nepotes,
Queis geminæ nomen debent ab origine gentes.
Sic Sodomæ flammis ultricibus ante ſuperſtes
Qui medius ſceleratæ inter commercia gentis
Innocuuſque animi, ſcelerumque remanſerat expers,
Exul, & infecti Lothus contagia mundi
Peccavit fugiens, & digna piacula diræ
Civibus ignotis Sodomæ commiſit in antris.

V O-

VOTUM

Pro ſalute Patriæ.

NAſſavius Belgi columen, belliquc tremendum
In dominos toties diſtrictum fulmen Iberos,
Et priſcas proavorum umbras indignaque fata
Sanguine Maurorum, debellatiſque tot altis
Urbibus & Batavo juſſis accedere Marti,
Signiſque ereptis, ſpoliiſque tot ultus opimis
Indomitas acies & tot decorata tropæis
Agmina jam pavidos rurſum dimittit in hoſtes.
At Batavi tutela maris Neptunius heros
Nunquam degeneris verus Mavortis alumnus
Quo duce adhuc infecta rubet Germanica Tethys
Et tantæ cladis monumenta oſtentat Iberis,
Cui tot bellorum exuviæ ſemperque recentes
Haſtæque, Clypeique, enſeſque in limine pendent,
Ingreditur Batavis vicinum navibus æquor,
Et dum Naſſavius Maurum tellure fatigat
Æquoreis excludit aquis. O maxime rerum,
Si quid vota valent, precibuſque movere tuorum,
Reſpice ſumme pios genitor, neu vana ferantur
Cœpta fave. Si tota tuas ſe ſternit ad aras
Belgica felices exoratura triumphos,
Si toties manifeſta tui monumenta favoris
Senſit Iber, toties Batavis pugn verit æther

IN OBITUM

Optimi Parentis

LUDOVICI KINSCHOTII.

HOc erat, ô Genitor, quod mens mihi præſcia veri
Hoſtibus erepto mediis, medioque furori
Bellorum, queis tota ſuas Germania vires,
Tota ſuas exhaurit opes, odioque perenni

Exci-

Excitat adverſas in mutua funera gentes,
Hoc erat, ô Genitor, mens quod præſaga malorum
Me toties ultro monuit, fore ut alta viarum,
Emenſum ſpatia, & tutâ jam ſede receptum
Incolumem, graviora domi poſt fata manerent:
Hoc erat: agnoſco vanæ ludibria ſortis.
Quæ, ſi læta nimis vultu meliore refulſit
Temporis exigui tractu, mox invida retro
Cedit, & impenſum repetit per damna favorem.
Atque utinam, ſi majores exolvere pœnas
Debuimus, quovis potius contenta fuiſſes,
Materies certe fuerat ſuper, apta furori
Sæva tuo, exactrix rigidi nimis aſpera fati!
Plusne ſuper timuiſſe fuit? genus omne malorum
Accumulas, finemque adimis, metamque dolori.
Nec ſatis; ô noſtræ Genitor cariſſime vitæ,
Ætatis quod flore vigens, quod tempora canis
Nondum ſparſus obis, rapido quoque turbinis inſtar,
Securis animi, neu tale timentibus, ictu
Eriperis; graviter perculſis mentibus ille
Incubat, & penetrat cæco præcordia telo.
Toxandrâ tunc forte procul regione morabar,
Circumfuſa jacet medio quà Scaldia ponto,
Conſilio, juſſiſque tuis, ſæpe aſpera rerum
Me ſubiit facies, & nota doloris imago,
Ignarum tamen, ac nil de genitore timentem.
At, patrii reducem ſimul excepere penates,
Pronus in amplexus, dilectaque colla ruebam
Neſcius: at Genitor vicinâ in morte natantes
Attollens venienti oculos (ſine talia fletu
Quis memoret?) fixo ſpectabat lumine vultus
Dilectæ ſobolis, dudumques moratus inhæſit.
Dirigui viſu in medio, totoſque per artus
Horror iit, veluti tactus Jovis igne triſulco,
Ipſe pium ſubitâ properarem morte parentem
Præverti, rigidi ſilicis de more ſtupebam.
Defuit & lacrimis via, voci defuit ipſi.
Ut licuit fari, ſuſpiria pectore ab imo

Longa

Longa trahens, ſic me, Genitor cariſſime, dixi,
Excipis? hæc diſcedenti promiſſa dediſti?
Ecqua mei tibi cura ſuper? men', optime rerum,
Noviſti? mens an pariter cum voce receſſit?
Affectus da ſigna tui. Nihil ille moratur,
Viribus enixus totis educere vocem,
Quæ tamen, ut ſummis excepta eſt denique labris,
Imperfecta fuit, tenuique in murmure tandem
Deſiit. Accedo propius, carique parentis
Excipiens fugientem animam, ſuper oſcula figo.
Ille velut potuit mox reddidit oſcula nato,
Inde manum junxi, junctam premit artius ille.
Dumque labat paulatim, & mors violentius urget,
Exiguam patriæ pietati temporis illam
Viſa dediſſe moram, ne me procul inde remoto
Triſtior humanæ fugeret commercia gentis.
Deficiunt oculi, atque hebetato lumine viſus
Frangitur, aſtantes nec jam dignoſcit amicos.
Tum vero amotis nebulis, certuſque propinqui
Exitii, præcluſa diu vix lumina ſolvi
In lacrymas, vultumque perenni fonte rigavi,
Alto cum gemitu,& luctifico ſingultu:
Carcere dum tandem vix eluctata caduci
Corporis ad patrium mens evadebat Olympum.
Quo fugis, heu? cui me,Genitor dilecte, relinquis?
Omnibus orbatum, ſolum, & rationis egentem?
Certe ego, cum fatis Genitrix ceſſiſſet iniquis,
Et Lacheſis ſacri rupiſſet vincula lecti,
Ac ſoror, haud dudum matri poſt buſta ſuperſtes,
Rapta foret, velut herboſi flos gloria ruris
Dente perit curvi ſubito demeſſus aratri,
Te Matris ſupplere vicem, te reddere vidi
Affectum geminum, blandæque ſororis amorem.
Hei mihi! quo pietas virtuſque antiqua receſſit,
Et nulli non nota fides? quo mille periclis
Altior, & ſerie longorum haud fracta malorum
Mens abiit? quo frontis honos, vultuſque ſereni
Gratia, & à primis innata modeſtia cunis?

Quo

Quo mores nivei, & generoſo pectus honeſto
Incoctum, ſtudijs Muſarum & laudis amore
Nobilis imbutum? Moriens hæc omnia tecum,
Ilicet heu! nobis nunquam rediture, tuliſti.
Donaſſent utinam votis pia numina juſtis
Exiguam dilecte, moram, quâ certus uterque
Fatorum, nec adhuc ratio tibi morte propinquâ
Offuſcata foret, cariſque amplexibus hærens
Ultima vicini caperem ſolatia lethi,
Teque mihi vitæ dantem præcepta, piiſque
Me monitis firmantem, atque ad majora parantem
Sedulus audirem! Levius tua fata tuliſſem.
Hei mihi! quod vocem nec dum tua ſenſa locuto
Eripuit vis ſæva mali! nec mente fideli
Condita ſollicito licuit tibi promere nato!
Hei mihi, quod Patriæ conſulta noviſſima Patrum,
Et votum unanimi ſanctâ pro pace Senatus,
Pene obitus extrema tui momenta ſecutum,
Scire, nec immenſi licuit dulcedine mentem
Perfudiſſe boni! nec enim tibi gratior ulla
Materies, tibi pacis opus, tibi munera cordi,
Et ſecura quies, fixique in poſtibus enſes.
Quid tamen invidia, quid inanibus æthera votis
Sollicito, ſortemque tuam, vaniſque querelis
Incorrupta animæ melioris gaudia turbo?
Tu domitor lethi, rutili tu civis Olympi,
Altior his curis, vanique laboribus ævi,
Has lacrymas, hæc vota vetas. Te tuta quiets
Excepit ſtatio, quam pax æterna perenni
Sede tenet: nihil illa hominum commenta moratur,
Alternaſque vices, & crimina mobilis aulæ,
Et jactata diu ſtolido ludibria vulgo.
Hic pius æthereis inſertus Arauſius aſtris
Sidereos late proceres ſublimior inter
Emicat, & toto radios diffundit Olympo.
Tu Ducis invicti vultus, ſtellantiaque ora
Jam vultu propiore vides. Tibi jungere dextram
Magnanimo datur Heroi, dum patria longis

Fle-

Fletibus, & triſti conſumitur anxia luctu,
Indomitamque manum ſuperos, certumque repoſcit
Auxilium, velut experto ratis orba magiſtro
Fluctuat, & toto jactatur ſola profundo.
Tu procul humanis à ſordibus improba rides
Conſilia, immanesque minas, Regumque furores,
Æquatasque ſolo vaſtis cum molibus urbes,
Et motu ingenti terrarum à ſedibus imis
Concuſſa imperia, & ſceptri inconſtantis honores.
Non tu animam inſontem curâ torquebis amarâ,
Impia ſi miſeros agitet diſcordia cives,
Et gaviſa diu, nimiumque elata ſecundis,
Sentiat alternas Reſpublica noſtra ruinas.
Dii procul avertant noſtris crudelia terris
Omina, nec ſeri videant ea fata nepotes!
Mens præſaga tamen, motuque excita futuro
(Falſa utinam vates!) metuit tibi, Belgica, quam tot
Undique circumſtant odia, & ſæva undique bella,
Nunc quoque vicinas nimium vexantia gentes.
Haud tua ſors melior, neque tu meliora mereris
Invidioſa fatis, qualem ſperare nec ipſa
Audebas, fluxit ſeries tibi proſpera rerum:
Hinc animi venere tuis: hinc ebria luxum
Invenit fortuna, ævoque ignota parentum
Crimina, quos recti ſtudium, quos candida morum
Simplicitas, nec adhuc peregrino infecta veneno,
Et pietas totum commendavere per orbem.
Namquis honos legum? piget heu! meminiſſe, pudetque
Tot ſcelerum, mediis paſſim quæ tanta videmus
Urbibus, & plenam nil formidantia lucem.
Quis locus eſt meritis? Quis honeſtis artibus! Aut cui
Ulla prior patriæ, quam rerum cura ſuarum?
Cunctos ambitio, cunctos afflavit Erynnis
Invidiæ, quæ ſe immiſcens teterrima ſpargit
Unanimes inter rixarum ſemina Fratres.
His tua, care parens, dudum jactata procellis,
Attigit emenſo tutum ratis æquore portum,
Cedimus, & Juſti quoniam fuit illa voluntas

Numinis, imperiis animum ſubmittimus æquis.
Interea vitæ, & virtutum exempla tuarum
Sumimus: hæc noſtræ certiſſima regula menti,
Donec ſumma dies terrenæ vincula molis
Solvat, & incolumes tua per veſtigia ducat.

IN MORTEM
FRIDERICI HENRICI,
Celſiſſimi Arauſionenſium Principis, ſummi Ordinum Belgii Fœderatorum militia præfecti.

HActenus incolumes medios evaſimus hoſtes,
 Et facilem votis fata dedere viam.
Cincta feris reduces Germania reddidit armis,
 Et patrios aperit nobilis Haga lares.
Triſtor illa tamen, longoque exercita luctu,
 Nec ſimilem, qualem vidimus ante, ſibi.
Illa ducem luget, cui ſe debere fatetur
 Præſidium decoris terra Batava ſui.
Illa ducem luget, cui nec longæva vetuſtas
 Protulit, aut ætas ulla datura parem eſt.
Occidit adverſo non fractus Arauſius enſe,
 Et moriens ſecum gaudia noſtra tulit.
Quid juvat inſani fugiſſe pericula belli?
 Sævius irato pax mihi Marte nocet.

AD
FRANCISCUM OGIERIUM.

QUid me ſepultum pene doloribus,
Erectioris nec genii vocas
 Ad antra Muſarum capacem,
 Ut cytharæ ſtrepitu repellam
Inominatas ſollicitudines,
Et præparati nubila pectoris

Curas

Curas edaces, queis remotæ
Pacis amor, dubiique vultus
Divæ latentis ſæpe tuam premunt,
Franciſce, mentem, quas patriæ dolor
Auget relictæ? Parce finem
Sollicitis animi procellis,
Modumque curis triſtibus à meo
Sperare plectro. Quin gravioribus
Adjunge divini querelis
Eloquii decus, & labanti
Succurre Muſæ, ſuffice debili,
Amice, vires, Occidit, Occidit
Invictus Heros, illud ingens
Imperii columen Batavi;
Terras Gradivus liquit Arauſius,
Noſtràſque ſedes, & melioribus
Tranſcriptus invaſit paternum
Æthera, ſemideûmque junxit
Novum beato ſe comitem choro,
Qua ſyderum inter purpureos globos
Late coruſcantem Parentem
Aſpicit, impavidumque Fratrem.
At nos profundis luctibus obruti
Vano parentem murmure patriæ
Eheu! ciemus. Tangit omnes
Ille dolor, lachrymiſque multis
Teſtatur orbi mœſta Batavia,
Et voce, quantum perdiderit decus.
Mærent Camænæ, ſæpe lætam
Pieriis redimire ſertis
Frontem ſuëtæ magnanimi Ducis,
Aut propter undæ ripam Aganippidos
Herois æterni triumphos
Compoſitis celebrare nervis.
Ipſa ipſa tanti conſcia funeris
Pax alma mœrens luget, Arauſias
Parata jam miſcere lauros
Palladiæ foliis olivæ.

His occupatum pectus,& indignum
Solatiorum,non aliis poteſt
Vacare curis. Da petenti
Hanc veniam, potes, Ogieri,
Dum juſta magnis ſolvere Manibus
Utcumque verſu molior impari,
Utcumque duraturam amoris
Naſſavio poſiturus aram.

In Immaturum Obitum

CELSISSIMI PRINCIPIS
ARAUSIACI, SECUNDI FILII, VIX NATI.

HEroum ſoboles, Tanti ſpes altera juris,
In jugulos natus, triſtis Ibere, tuos
Occidit,& patriam reſperſit fletibus aulam:
Vix dederat Juno, prodiga parca rapit.
Flet genetrix laniata comas,percuſſaque palmis
Pectora,fatorum triſtia jura gemit.
Accuſat nimii communia gaudia voti
Auriacus. Celeres hæc rapuere noti.
In lacrymas nequeunt ingentia pectora ſolvi
Quam meruit toties, gloria flere vetat.
Parve puer, patriæ brevis olim cura, patrique,
Communis patri nunc,patriæque dolor.
Tu nunc æthereos felicior umbra per axes
Lætus agis. Vili membra teguntur humo,
Aſtraque metiris toto radiantia mundo,
Et propior magnum conſpicis ore Deum.
Illic Auriacos proceres,& priſca tuorum
Nomina ſemideos inter,& aſtra vides.
Stat patriâ moriens pro libertate Wilhelmus;
Opprobrium populis, Maure cruente, tuis.
Mauriciusque ingens ferratum indutus amictum,
Qualem in Pleumoſiis horruit hoſtis agris.
Accipiunt comitem,tantisque Heroibus Heros
Adderis,Auriacos aureus inter avos.

Parte

Parte tui quamvis longe meliore ſuperſtes
Corporis exueris vincla caduca tui,
Nos tamen & longo querimur tua funera luctu;
Debueras certe ſerus adire polum.

Hagæ-Comitum menſe Januario 1640.

MANIBUS

HENRICI NASSAVII,

Friſiæ, & Groningæ præfecti, equitum Magiſtri.

MArtius Heroum Sanguis, quem regia mater
Regibus annectit, Cimbrica terra, ſuis,
Stemmata Cæſareis adſcribunt patria faſtis,
Et cui mens tanto ſanguine major erat.
Quem placidum cives, quem ſenſit Iberia fortem,
Orbis amor, Martis gloria, Pacis honor.
Dum patriis arces Flandrorum fulminat armis,
Et debellatus cedere diſcit Iber,
Viſcera fatali trajectus concidit ictu,
Hoſtilemque ſuo corpore ſtravit humum,
Ungula Maurorum ſtratum protrivit equorum,
Unâ nec potuit morte perire ſemel.
Aſpice funeſto confectum, Friſia, leto:
Qui pro te cecidit, cerne, Batave, virum.
Nec tamen imbelli deplores funera queſtu.
Aſpergi lacrimis nobilis urna negat.
Errat adhuc, & multa tui Ducis umbra vagatur,
Martia gens, veſtram flagitat illa manum.
Placet Naſſavios hoſtilis Iberia manes.
Officii certe ſumma ſit illa tui.

Hagæ 1640.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN OBITUM CORNELII VANDER MYLE.

SOlus qui potuit fugientes ſiſtere Muſas,
  Et Phœbum in Batavis detinuiſſe ſuis,
Solus barbariem noſtris avertere terris,
  Ne penitus victo figeret orbe pedem,
Myliades fatis rapientibus omnia ceſſit,
  Clauſit perpetuus lumina victa ſopor.
Myliadæ, vatum decoris, noſtrique Lycei,
  Stamina crudeles diſſoluëre Deæ.
Aonides Divæ, ſi fas lugere Deabus,
  Si lachrymis veſtras fas maduiſſe genas,
Myliadæ veſtro lachrymas date, pulla dolori
  Conveniens circum pectora veſtis eat.
Aonides, tutela chori certiſſima veſtri,
  Crimine proh fati nil miſerantis obit!
Myliades, nomen quo non illuſtrius unquam,
  Nec quoque nunc tellus Itala majus habet.
Quam libet oſtentet Mediceæ nomina gentis,
  Et tumidos fluctus altior Arnus agat,
Magna per immenſum diffundat nomina mundum
  Adria Molinos, Medoacuſque Pater:
At tu, qui Batavos inter notiſſimus amnes
  Muſarum riguis mœnia tingis aquis,
Myliadem cunctis oppone Heroibus unum,
  Rhene pater: majus quo duce nomen habes.
Nec ſe Medoacus, nec ſe tibi conferat Arnus,
  Euganæque ingens Adria rector aquæ,
Itala nec tellus ſe victam hâc parte negabit.
  Nec tibi jam vates conferat illa ſuos.

Leidæ 1643.

IN OBITUM
ADRIANI HOFFERI.

HÆc tibi, Magne ſenex, priſcæ virtutis imago,
Solvimus inſonti debita juſta manu.
Dona damus tumulo, tibi quæ, dum vita manebat,
Lecta procul Pindi grata fuere jugis.
Addimus & lachrymas, tanti leve pignus amoris:
Uda tamen lachrymis ora videre juvat.
Nec modus eſt ille, magno neque meta dolori:
Exceſſere nimis triſtia fata modum.
Junia, da veniam, Patrique ignoſce ſuperſtes
Turba, tot afflictæ pignora cara domus:
Sint privata licet, propioraque vulnera nobis,
Portio lugentum non niſi parva ſumus.
Flebilis extinctum ſapientia luget alumnum:
Orbaque vate ſuo turba novena dolet,
Vate ſuo viduata, pio qui pollice ſacrum
Rite canens toties ſollicitavit ebur.
Ipſa chori præſes, doctarum prima ſororum,
Dilaniat ſacras Calliopea comas,
Ipſa diem tanti lævo notat omine fati,
Atque ait; in faſtis atra ſit illa meis.
Patria communes gemitus tot queſtibus addit,
Tot lachrymis lachrymas, orba parente ſuo.

IN OBITUM
CORNELII STAVENISSII.

Zelandiæ Syndici.

IRet ad extremos cum Patria triſtis honores,
Et Staveniſſi conderet oſſa ſui;
Sola eſt in medio teſtata ſilentia luctu,
Ut major ſolito preſſerat ora dolor:
Nec tamen à ſolo venit ſtupor ille dolore,
Uno ſe arſuram credidit ægra rogo,

IN

JULII CÆSARIS SCALIGERI

Monumentum ſine monumento, quod Aginni Nitiobrigum viſitur.

ASpice, Poſteritas, cineres ſine honore ſepultos;
  Scaligeri cineres illa recondit humus.
Marmor abeſt Parium, nec quæ ſub mole tegantur
  Condita ſignatus denotat oſſa lapis.
Sic decuit, fortuna, tegi, cui fama perennis
  Heroum titulos debuit ipſa ſuos?
Nec qui Scaligero, quod fecerat omnibus unus,
  Exiguum titulum poneret, ullus erat?
At ſi materies jam deſperanda fuiſſet,
  Et pietas obicem repperit inde ſibi,
Quæ tandem invidia eſt, parva hic monumenta videri,
  Ipſa ſibi ſtatuit quæ moritura manus?
Hæc tibi cum deſint, nihil eſt quod quærimus ultra.
  Jam tibi ſors tumuli ſufficit illa tui.
Fama feret titulos, & erit pro marmore mundus,
  Illa tibi par eſt: latius ille patet:
Nec titulus ſuper oſſa legi tua debuit, aut tu
  Pro te debueras poſt tua fata loqui.

VOTUM

pro ſalute

DANIELIS HEINSII,

Graviſſimo morbo decumbentis.

SI ſua quid pietas cuiquam prodeſſe putanda eſt,
Et terris jam rara fides; ſi candida morum
Simplicitas; ſi mens alto contermina cœlo,
Ingeniumque capax rerum quot continet æther;

Nunc

Nunc inhibe Libitina manum; neque grandius unquam
Crede nefas cæco committi poſſe furore,
Quam vitâ Heinſiaden ſpoliare, necique dediſſe,
Invito mundo, mundi communis amorem.
Luctu tabifico Batavi tutela Lycei
Conficitur Tritonis; & auras planctibus implet:
Deliciumque ſuum mæret Parnaſſia rupes.
Non hederæ, myrtive virent, non Delphica laurus;
Et lachrymas fundit mediis Cephiſus in undis.
Plorant Aönides, quarum pia ſacra tot annis
Ingenti fovit ſtudio, ſparſitque per orbem;
Et famam terris, meritum finivit Olympo.
Trux inhibe Libitina manus: onerabere facti
Invidiâ. Non palma decet, viliſque triumphus
Corpore de tenui, nec quidquam molis habente.
Tolle viros reſides, terræque ſuperflua dudum
Pondera; quos non eſt proſternere ſimplice telo.
Hinc major tibi ſurget honos. cur, improba, cœli
Depoſitum, pignuſque paras auferre Deorum,
Credita Lugduno cujus cuſtodia noſtræ;
Quæ viſa haud alio magis anxia tempore? tota
In miſeras effuſa preces, O parcite, clamat,
Stamine feſtino devolvere penſa Sorores:
O tu, tu ſuccurre bono, bone Delie, vati,
Namque ſalutiferis dominari diceris herbis.
Sit curæ tibi, Phœbe, caput, mea gloria tantum,
Et tua cui debent. illum minus æqua Batavis
Unda Tagi, fautorque ſuæ Permeſſidos Arnus,
Et Tiberis feſto ſubvexit ad æthera plauſu;
Quæque jacet tellus ultra Garamantas, & Indos,
Qua vaſto Batavæ decurrunt æquore puppes.
Ecce, Meduſææ tantum decus Hippocrenes
Luctantem trahit ægre animam. ſtant undique circum
Morborum rabies & pallida Mortis imago.
O tandem ſuccurre, opifer; ſi ſacra per aras
Rite tibi facimus, feſtoſque accendimus ignes.
Tales illa jacit triſti de pectore queſtus,
Imperfecta ſonans, ac ſingultantia verba.

Et vos, ô Superi, nobis avertite luctum,
Inſtantes prohibete minas: ſi crimina nondum
Hanc pœnam meruere, frui date munere veſtro:
Depoſitumque diu conſervet nobile Leida:
Et quando, non ſponte tamen, fatoque coacta,
Reddet, jam patriæ famæ ſuccreverit, æquo
Heinſiades minor inſiſtens veſtigia paſſu.

MANIBUS
Fortiſſimi Herois

WILHELMI CORNELI ZELANDI,

Qui in celebri periculo navali, quo Claſſem Hiſpanicam prope Braſiliam profligavere Batavi, fortiter pugnans obiit.

Occidit in mediis heros Neptunius undis
Fortiter & cauſa pro meliore cadit.
Non poterat meliore loco profundere vitam
Natus ad Oceani prætereuntis aquas.

Heros beate, municepſque cæli,
Quondam Batavæ flos, decuſque terræ,
Ingenſque Iberi terror ingruentis,
Nunc fama tantum, nunc dolor relictus:
Heros beate, qui polos micantes,
Fratreſque circum lucidos vagaris,
Tu nunc beatos proximus Batavos,
Qui jura noſtra morte ſancierunt,
Vultu propinquos adſpicis propinquo.
Juxta cadentem morte non piandâ,
Ullisve ſæclis ſat luendâ Ibero
Tuæque cauſæ, & nominis Wilhelmum;
Heemskerkiumque qui ſuis Batavis
Suo cruore lauream reliquit
Propter remotas Herculis columnas.

Et

Et qui ſuperbi velleris tropæum
Ademit hoſti victor inter illos
Cæli beatos incolas beatus
Agit perennis gaudium juventæ.
Heros beate, qui tuos Batavos,
Cauſamque noſtram morte ſanciebas,
Tibi Batavi non ſepulcra ponunt,
Cœlo ſuperbâ mole quæ minentur,
Fundunt querelas, lacrymas profundunt,
Et fata mærent, ut ſui parentis.
Tibi tropæa non movenda ventis,
Ullisve ſæclis eruenda ponunt,
Inſcripta gratis mentibus tropæa
Semper futura, quæ Batavus omnis,
Serique ſemper excolant nepotes.

EPICEDIUM
in mortem Illuſtris Viri
HUGONIS GROTII.

FElices inter populi plaudentis honores,
Quem ſuus adverſum junctis dolor urget in hoſtem
Viribus, & toti fortuna opponit Ibero;
Undique dum feſtis acclamant cuncta triumphis,
Et debellato ne quicquam grande minantis
Heſperiæ fato, laſſo pax imminet orbi,
Non alio ſperanda modo, nimis invida Clotho
Publica communi profligat gaudia luctu.
Illa feros animos, nec quicquam tale timentes,
Invictæ gentis, tam ſævi fulminis ictu
Cogit in aſſueto permittere fræna dolori,
Inque novas lacrymas humentia lumina ſolvit.
Ille decus mundi, noſtri certiſſima ſæcli
Gloria, qui famâ titulos ſupereminet omnes,
Jam toties venti furiis ereptus & undæ,
Grotius, optatæ in mediâ telluris arenâ
Naufragium inſolitum invenit, fluxamque carinam

Illi-

Illiſit ſcopulis: Phœbei luminis inſtar,
Qua patet, immenſum radiis qui ſparſerat orbem,
Condere quem gremio jam fugerat Amphitrite
Navifragum, æternas metuens præſaga tenebras,
In ſociis reperit funeſta cubilia terris.
At reditus ſpes omnis abeſt; nec, ut ille ſequenti
Luce novus volucres agitat velut ante jugales,
Noſter ab occaſu ſurrexit in æthera Phœbus.
Interea Mænalis reſonat plangoribus Urſa
Incuſat cœlum: magnoque excita tumultu
Proſilit Arctoi bellatrix filia regis.
Illa decus capitis, laurique virentis honores
Diripit, & triſti frontem velata cupreſſo
Teſtatur ſua damna gemens. Eadem undique mortis
Funeſtæ Sueonum proceres percellit imago.
Parte aliâ curarum expers, tantumque triumphis
Indulgens, victi ſpoliis & onuſtus Iberi
Sequana, ut ereptum terris, fatoque peremptum
Rettulit heu! nimium crudelis nuntia veri
Fama virum, æternæ cujus facundia linguæ
Suecica Borbonio promens oracula Regi
Sæpe ipſum in mediis torpere coëgerat undis,
Oceani ſæpe hoſpitio ſe reddere Patris,
Tardius, immundo conſperſam pulvere monſtrans
Canitiem, infectasque genas, ripisque teneri
Neſcius, inſueto diffugit ad æquora curſu·
Decolor, informis, fractâ miſerabilis urnâ,
Numinibusque ipſis vix cognoſcendus aquarum.
Illa ſinu totum complexa Lutetia mundum,
Feralique omnis turbatur Regia luctu.
Vix lacrymis Auguſta parens, vix ipſa pepercit
Borbonii Regis pietas, qui læta ſuorum
Vota procul rapidis ferri videt irrita ventis,
Ultimo ab orbe redux dum Grotius exſpectatur.
Tu quoque pacatis animis, ævique prioris
Longa ſecuturis mandans oblivia ſæclis,
Belga, dole; nec adhuc ſævis odia ulla ſuperſint
Mentibus, & cineres maneat pax alta ſepultos.

Heroëm

Heroëm jam parte ſui meliore carentem
Urbe tegi patiare ſuâ: ſi nomine tanto
Inclyta ſit cunctas tua didita fama per oras:
Nec te axis geminus tua per commercia norit
Longius, & vectas ignota per æquora puppes.
Sed noſtro quid in orbe moror? concurrite gentes,
Unde novus roſeis Titan caput exſerit undis,
Lucidaque obſcura revehunt ubi ſydera noctem,
Veſter ubique dolor, nec adhuc vulgaribus ille
Defleri poſcit lachrymis. Pater ipſe profundi
Regna ſua in lachrymas immenſa miniſtret aquarum.
Ille, quod aſſertum quatiat ſine lege tridentem
Jam liber, juriſque ſui debere fatetur,
Æterno Groti eloquio; nec, vindice tali
Tutus, adhuc ſceptri formidat juſſa Britanni.
Ipſa etiam in gemitus, quoquà patet, undique tellus
In fletus eat ipſa; ejus ſi munere leges
Bellorum, queis eſt partes jactata per omnes
Nunc, didicit, paciſque artes edocta, modoſque
(Si qua manent illam felicia tempora pacis,
Et ſuperi ſpondent) hoc gaudeat uſa magiſtro.
Is luctus tibi par, Groti: ſors illa dolendi
Digna tuis meritis; tales tua gloria poſcit
Exequias poſt fata tibi, nec culmina tantum
Pyramidum tribuant, Mauſolæique labores.

In Kalendas Majas
FRANCISCO KINSCHOTIO
NATALES.

Alma dies, roſeo quam tollit ab æquore curru
Pulchrior, & radio Titan meliore coruſcans,
Non mihi, quod læti referas primordia menſis,
(Quo non ulla venit longi pars gratior anni
Humano pariter generi, ſuperiſque) coleris:
Debemus majora tibi, quod nobile Belgî,
Æternumque decus, cujus res publica curis
Inconcuſſa manet, cui Regia gaza tot annos,

Cui

Cui ſacræ creduntur opes, Lux magna Senatus
Luce tuâ primas Kinſchotius hauſerit auras.
Illa quidem lætis (ita Dii voluere) refulſit
Sæpius auſpiciis, & nunc quoque prima recurrens
Biſſeptem poſt luſtra venit, ſed vota ſuorum,
Et populi fortuna, & magni gloria Regis
Annorum immemori longæ faſtidia vitæ
Exemere Viro, quamvis tot pondera ſolum,
Tantarumque premant immenſa negotia rerum.
Forma manet vultus, nec adhuc effæta ſenectus
Membra quatit, nec ferre pedes ſua membra recuſant.
Par vigor ingenii, par incorrupta ſereni
Vis animi, quam nec precibus, nec ſordibus ullis
Vel conjurati valeant convellere reges.
Sæpe redi, formoſa dies, eademque, nec ullis
Cincta nite nebulis, cœloque vocante futura
Ultima, ſera veni; ſed enim revolutus in orbem
Cernat avum ſol ante tuus, felixque laborum
Socero ſimilem Lanchalſia pulchra nepotem
Ultima votorum ſupereſt ea ſumma meorum.

IN NATALEM
ROCHI HOFFERI, A. F.

Aurea lux læto formoſior omine prodi,
 Hofferi primis conſcia lacrimulis.
Tam lepidi vatis felici cognita partu,
 Cui divæ Aonides ſacra dedere ſua,
Et totum indulſere ipſo cum flamine montem,
 Unde ſua æternis ora rigaret aquis.
Aſpice te feſto venerentur ut omnia cultu:
 Ara omnis lætis ignibus ut caleat!
Accedunt, facileſque ferunt ſua dona Poëtæ,
 Serta ex Pieriis frondibus implicita.
Ultimus hos inter queritur, ne rite veniret,
 Se excluſum propero tempore Kinſchotius.

Tu

Tu face, cum lapſo renovata reverteris anno,
Non inopina nimis nec venias ſubita.
Sic ſemper niveam, ſemper melius lucentem
Omine te Phœbus candidiore vehat!

Hagæ fine anni 1641.

IN ULTIMOS
ADRIANI HOFFERI
Verſus, à Rocho filio poſt mortem ejus editos.

Accipe Poſteritas monumenta noviſſima Vatis,
Quo ſe cincta feris Scaldia jactat aquis.
Ille quidem totus Patriæ tranſcriptus, & urbi
Non potuit ſacram non tetigiſſe chelyn:
Semper adhærebant lateri pia Numina Muſæ,
Materiam patriæ ſuppeditabat amor,
Vel vetus à Cœlo dato pagina, vel nova, nobis
Fœdere quo junxit ſe propiore Deus.
Hæc tibi Apollineo ſoboles dat digna parente,
Huic quoque non tritum gloria pandit iter,
Ille etiam Clarias feliciter attigit artes,
Et didicit ſacro fonte levare ſitim.
Talis opus doctum tibi conſecrat, optime rerum,
Felici pietas officioſa manu.

P. VIRGILII MARONIS NATALIS
ad
RADBODUM HERMANNUM
DE SCHELE à WELBURG.
SERMO.

Quâ non ulla dies illuxit ab æthere nobis
Gratior, Octobres revehit Sol aureus idus:
Idus, quæ propter ſinuoſi flumina Minci
Cœlo immortalem primæ oſtendere Maronem.

Me

Arida me febris, me tuſſis anhela fatigent;
Corporis imminuant pariter mentiſque vigorem;
Non tamen illa dies ſine noſtro carmine abibit,
Sacra mihi ſemper; mihi rite colenda quotannis.
Tu modo,quem genere atque animi virtutibus alti
Pollentem,late Pater Iſala lactat alumnum,
Et nunc lætus habet,curviſque amplexibus ambit,
Scheli, noſter amor, ſubito mihi miſſus adeſſes.
Tecum iter ingrederer maletritum,ubi nulla priorum
Signavere pedes veſtigia, nec duce tali
Ulla reformidem ſubiiſſe pericula, fretus
Viribus audacis, ſineret Fortuna, juventæ
At neque tam pulchro fas eſt deſiſtere cœpto,
Quamvis lentus abes;Batavæ nimis immemor Hagæ;
Vexatique malis ah quam ſecurus amici!
Quod licet, Aönidum jucunda per avia ſoli
Ibimus,& verſu tollemus ad aſtra Maronem:
Salve, culte mihi, Parnaſſi gloria, vates,
Maxima: naturæ labor ultimus; omniaque unus:
Itala cui tellus in luminis edidit auras
Par nihil à veteri noſtra uſque ad tempora Jano.
Optima Romanæ tu Majeſtatis imago:
In te cuncta patent urbis miracula tantæ,
Bellique arteſque togæ. tu Suada Latina
Unica; cui fruſtra ſe conferat Attica Pitho,
Atque omnis longe cedit facundia Grajûm.
Cedat Mæonides: cedat quem protulit Aſcra:
Victa Syracoſii paſtoris fiſtula cedat.
Ipſe pater Phœbus tibi, perfectiſſime rerum,
Uni cuncta dedit, quæ ſingula contulit illis.
Tu, fundoque carens, & nullo littore clauſum,
Es mare doctrinæ: tu fons, tu vena perennis
Nectaris Aönii, ſua quo ſitientia ſacri
Vates ora rigent, à vulgi labe remotos
Lumine quos placido naſcentes vidit Apollo.
Et quis adhuc alios vellet ſibi quærere rivos?
Te tamen (ah noſtro probroſum dedecus ævo)
Inſulſi potuere palam contemnere vates,

Sur-

Surreptoſque tuos alio traducere honores.
Effinxere ſibi patriâ de gente Maronem;
Quam tibi diſſimilem tumidis numeriſque, modiſque,
Et ſermone parem nuſquam ſervante nitorem!
Huic jam thura ferunt: huic nunc altaria fumant.
Ille chori præſes: fons unicus ille poëtis:
Turba frequens alio non proluit ora fluento.
Hinc portentoſæ volitant per compita nugæ,
Per fora, perque domos, perque atria celſa potentum:
Et multis (fallit quos didita fama) probantur.
Interea Phœbum, ſociaſque avertere divas
Improba Barbaries noſtro molitur ab orbe.
Quin etiam manibus tua tangere ſacra profanis,
Et fractum numeris, peregrinâ voce loquentem,
Ludibrio indocti ridendum exponere vulgi,
Sacrilegi illaudata auſa eſt induſtria vatis.
Felix ille quidem, ſi ſcabros cudere verſus,
Ac ignota novæ formare vocabula linguæ
Contentus, propriâ ſe continuiſſet in arte,
Non intellectis verbis interpres ineptus.
Sed viles animæ, quo demum cunque furore
In tua ſacra ruant, nihilum tibi demere poſſunt,
Fruſtra affectantes Pimplæa invadere regna.
Haud aliter, Terræ proles veſana, Gigantes
Sedibus æthereis conati pellere Divos:
Conantes Pater altitonans dejecit, & iiſdem
Montibus oppreſſit, queis Divum tecta petebant.
O bene, quod plures hæc non afflarit Erinnys!
Sanguinis & multum ſinceri fata relinquunt
Æqua ſuper! tibi judicium natura ſubactum
Nequicquam non indulſit, cultiſſime Scheli:
Nec tu thure coles alium, dilecte, Maronem.
Hoc quoque Gronovii ſentit mens ardua, Rheno
Iſala quem Batavo precor ut quandoque redonet,
Dum nebulam invidiæ melior Sol diſſipat atræ.
Eſt, qui vicinam decorat natalibus urbem,
Pieridum cultor, facundi Vallius oris:
Eſt minor Heinſiades, quo non præſtantior alter
Proxima divino quæcunque ſonare Maroni:

Eſt genitor, cunas ob cujus Ganda ſuperbit;
Nec mage Cæſareis cunis celebrabere Ganda.
Aſpice ſublime atque haud ulli imitabile carmen,
Quo decus illuſtris, famamque & ſcripta Thuani,
Inſerit ordinibus Superum, cœloque beavit:
An non id certat cum majeſtate Maronis?
Aſpice, per chartas ubi ſomnia vana quaternas
Humano aggreditur generi, mortiſque timorem
Eximere, & dictis corda impacata ſerenat;
Non tu, magne Fracaſtori, non tu optime contra
San-Nazari tendas: tanta eſt reverentia libri.
Haud jam fert animus per laudes longius, Heinſi,
Ire tuas, ut Naſo ſuos (res cognita paſſim)
Sponte tuis elegos non permutare recuſet;
Nam neque tam lacti ſimile eſt lac, ova nec ovis:
Ut chelyn, & totam tibi tradat Horatius artem;
Nec Seneca, erepto doleat quicumque cothurno:
Nunc ſat Virgilii veſtigia certa ſecutum.
Ergo dehinc ſummi laus intemerata Poëtæ
Ibit per populos, per regna, per ultima mundi;
Ac vires ſumet gradiens. Lux iſta quotannis
Et vino, & votis, & multo thure coletur.
Me modo dia Salus, longum miſerata laborem,
Reſpiciat; cariſque velit me aſſiſtere ſacris.

CASPARIS KINSCHOTII
POEMATUM LIBER II.

Ad Poëſin redit.

JAm ſemel ingentem prope circum volvitur annum,
Et metam curru Sol propiore legit,
Quosque in vicinas transmiſit Aquarius undas,
Ultimus indomitos nunc labor urget equos.
Mulciber emenſos ſpacium vinctura jugales
Impellit famulas ad nova fræna manus.
Nec me plectra juvant reſides quatientia nervos,
Et ſordent numeris metra ligata ſuis,

Nec

Nec juvat Aonias interpellare ſorores,
  Et ſecurus agit per ſua rura Deus.
Serta gerant alii,& Phæbeïa munera, dixi,
  Phæbe pater ſerva vatibus illa tuis.
Alter Pierios age quilibet inde triumphos,
  Quæ venit à Muſis gloria, nulla venit.
Luſimus,& quondam potuit placuiſſe poeſis.
  Excivi doctas in mea vota Deas
Phæbe, vale, ſtudium vanumque,& inutile linquo,
  Amplius, ô, veſter non ero, Phæbe, vale.
Adſtitit,& noſtros proles Latonia quæſtus
  Audiit, inque leves juſſit abire Notos.
Serta coronatos velabant laurea crines,
  Et poterat facies ſola probare Deum.
At poſtquam juſſi tenuerunt murmura venti,
  Si memini, tales edidit ore ſonos:
Qui mecum in patriis jungebas fœdera ſylvis,
  Militiæque meæ nomina prima dabas,
Vilis ab Aoniis dilabere transfuga ſylvis?
  Quo tibi ſancta fides,quo tuus ardor abit?
Vile decus tantum? nec te tua gloria tangit?
  Partaque militibus mille trofæa meis?
Aſpice felices,totidem mea ſydera,vates.
  Accendant ſtimulos pectoris illa tui.
Arma cape,& ſolitas revoces in pectora vires.
  Tende leves chordas.   Ad tua ſacra redi.
Dixit,& in tenues paulatim evanuit auras.
  At mihi commoto pallor in ore manet.
Parce, pater, faſſo.   Sequor & mea crimina noſco.
  Ad tua confugio limina Phœbe, fave.
Protinus aggredior damnatos ante labores.
  Dextra mihi felix ſternuit omen avis.

Trajecti ad Rhen. fin. an. 38.
M. DC. XXXVIII.

AD
ARNOLDUM SLICHTENHORSTIUM,

GLoria Pieriæ gentis, cui pronus Apollo
Non exoratas ſponte miniſtrat aquas,
Si merear ſacras hedera interſerpere lauros
Ingenii munus deterioris habe.
Et pudet, & fateor (vates, ignoſce loquenti)
Heu! nimium tardas in mea vota Deas.
Pierides, Slichtenhorſti pia numina, Divæ,
Et pharetrate tuâ cum genitrice puer,
Quique chelyn gratâ, Smyntheu, percurris in umbrâ
Permeſſi ad riguas pone fluentis aquas.
Si toties meruit vates meus ante favorem,
Nunc etiam cæptis rite favete meis.
Non merui, vates meruit meus. Ille vaganti
Accedat, precibus pondus, & aura meis.
Lyda, fave, vatemque tuum pulcerrima flecte,
Vota ſuis jungat ut mea, Lyda fave.
Sic ſi forte meis aſpirent numina cæptis,
Sternuat & fælix blandius omen avis,
Materies noſtris venies ardoribus apta,
Et non vile meo carmine nomen eris.
Sic nunquam, quem nunc cœlo ſublimior effert
Fama, tuum vatem deſinat uſque ſequi.
Nunc queror erucæ ſterilis diſpendia venæ
Nec flectunt duras thura, precesque Deas.
Sævius incubuit fatum mihi, triſtius aſtrum,
Nec mihi concedit plectrà, fidesque Deus.
Et ſi concedat Phœbus mihi plectra fidesque,
Quæ ſin plectra regat non erit apta manus.
Forte quod inverſi facies miſerabilis anni
Apta meis cæptis otia blanda neget.
Stat foliis nondum veſtita virentibus arbos.
Nec gremio turgens germina fundit humus,

Quo-

Quæque vel invitas poſſent deducere Muſas,
Apta abſunt viridi mollia teſqua toro.
Aſpice ut immiſſus totis furat Eurus habenis.
Ut nimius madidas depluat Eurus aquas.
Præteriit grati prope tempus amabile veris.
Nil mutata ſui tempora veris habent.
Verte poli faciem, mitiſſime verte, Favoni,
Temporibusque annus convenienter eat.
Juncta tuo veniat lateri gratiſſima conjux
Flora, caput roſeum germina cincta novo.
Tunc fors ſub viridi proſtratus leniter umbrâ
Moliar Aoniæ plectra movere lyræ.
Ipſe locus cæptis vires dabit. Ipſe favebit.
Materiem cæptis ſuggeret ille meis.
Ipſe miniſtrabit latices mihi limpidus amnis,
Qui Batavam riguo flumine lambit humum,
Muſarumque choris ſacram perlabitur urbem;
Plus valet hic rivis, Aoni ripa, tuis.
Quis neget hic noſtros toties ceciniſſe poëtas.
Et cantu ſocias elicuiſſe Deas.
Illic Douza ſuos cantavit ſæpius ignes,
Atque ſuas Idæ lumina bina faces,
Cum virides Sylvas, & nobile Nordovicum
Linqueret, & voti conſcia prata ſui.
Cum levis argutis reſpondit vocibus Echo,
Et cupido vati conſcia ſigna dedit.
Illic Heynſiaden Nymfæ videre jacentem.
Cum caneret Roſſæ baſia rapta ſuæ.
Heynſiadeſque minor ſervans veſtigia patris,
Non ſemel ad patrias carmina fudit aquas.
Fundit adhuc, Lyſamque nemus, ſylvæque loquuntur,
Illa ſui nomen carmine vatis habet.
Et qui Mattiacis Hofferus venit ab oris
Portio magna mei, portio magna tui.
Prætulit æquoreis Leydam, Rhenumque procellis
Jamque ſuos ignes, materiemque canit.
Cara quidem dura eſt, patriiſque immitior undis,
Sponte tamen victas porriget illa manus.

 Sci-

Digitized by Google

Scilicet ipſa ſuos defendit Diva poëtas
  Putior emollit ferrea corda Venus.
Te quoque crediderim, cum te tua Leyda teneret,
  Illic ſæpe tuam ſollicitaſſe chelyn
Nec ſemel immitis dominæ de crimine queſtum,
  Nec ſemel ad ſurdos vota dediſſe Notos.
Nunc te Cæſareis tellus tenet alta triumfis,
  Altera Phœbæis inclyta terra viris;
Illa tuis ſpirat ſtudiis, tantoque ſuperba
  Vate procul vili celſior exit humo.
Nunc alium ſiſtis divino pollice Rhenum.
  Ille tuos ignes poſſidet, ille faces.
O nimium felix præ cunctis amnibus amnis,
  Rhene, caput vitreis celſior effer aquis.
Nec te, quod toto quondam felicior alveo
  Volveris ingentes flumine major aquas,
Jamque ſuper tanti teneas vix nominis umbram,
  Et jaceant fractis cornua ſparſa minis,
Commoveat, turpive inducas pulvere vultum,
  Sqalidus everſis convenit ille color.
Priſca novæ ceſſit iam dudum gloria famæ
  Omnis, ut ulterius conferat illa nihil.
Urbe tuâ, Phœbo ſacris præluſtre lyceum
  Nobile pectoribus conſtituere patres.
Nunc meus, atque utinam ſemper meus! ille noveni
  Fama chori, Clarii maxima cura Dei,
Tranſtulit in ſacram ſe Slichtenhorſtius urbem.
  O quantum terris contulit ille tuis!
At mihi quid prodeſt, quod te, cultiſſime vates,
  Trajectum oſtentet, Cæſareique lares,
Si disjunctus abes? Utinam conjunctus adeſſes!
  Cur nos non eadem nunc quoque terra tenet?
Dii faciant ut nos jungat breve tempus, at illud
  Acceleret properis Lucifer actus equis!
Alloquor abſentem, quantum licet, indice charum.
  Affectus animi continet illa mei.

AD

AD
NICOLAUM HEINSIUM

Optat Lugduni Batavorum eſſe apud Heinſium.

CUlmina Pierii quicum partitur Apollo
Verticis, ô Divûm maxima cura novem;
Nec mihi cura minor; quid te ſine longius, Heinſi,
Me tenet haud gratâ conditione locus?
Haga licet teneat, Batavæ pulcherrima terræ;
Nobilium, & magni principis Haga domus;
(Haga dabis veniam; nec enim niſi vera fatemur;)
Nil facit ad Muſas, nobilis Haga, meas.
Hanc colat aſſidue, ſonitus cui tympana rauci,
Cui tuba, cui ferrum Martis & arma placent;
Vel lites audire juvat, totumque per annum
Nunquam pacati jurgia dira fori.
Otia, ſeceſſum, Paciſque cubilia quæro:
Sint procul à Muſis bellaque, liſque meis.
Aönidum ſedes, & quæ tot pectora Phœbo
Sacra foves molli Leida benigna ſinu,
Quando tuos iterum non faſtiditus alumnos
Inter ego vacuæ ſæcla quietis agam?
Hei mihi! quid tardæ ceſſant procedere luces?
Currite, veloces currite Solis equi.
Mane novo, genitrix cum Memnonis aſtra fugavit,
Jam queror inviſum non abiiſſe diem.
Cum veſpertinos accendit Noctifer ignes,
Redde diem, clamo, Phoſphore, redde diem:
Redde diem; tempuſque jube, precor optime, naſci,
Inclyta Lugdunum quo repetenda venit.
O ubi procerâ veſtitus arundine Rhenus,
Qui Batavam leni flumine radit humum!
O ubi planities camporum, & amœna vireta,
Notaque frondoſis obſita teſqua rubis!
Hic ego, populeâ recubans proſtratus in umbra,
Coner Apollineæ tangere fila lyræ.

Ipſe loci Genius citharæ, dominoque favebit;
Omnigenos fidibus ſufficietque modos.
Sponte miniſtrabit laticem mihi limpidus amnis,
Qui ſuperet lymphas, Caſtali lympha, tuas.
Illius in ripâ celebres cecinere poëtæ,
Et cantu ſocias elicuere Deas.
Sæpius huc venit Nordvico Douſa relicto,
Atque ſonos Echo, quos dare juſſa, dedit.
Hic quoties dulci mulſerunt carmine Nymphas
Filius Heinſiades, Heinſiadeſque pater!
Me neque dedeceat moderantem pecten, ibidem
Aöniam digitis ſollicitare chelyn.
O nimium felix præ cunctis amnibus amnis,
Rhene, caput vitreis celſior effer aquis;
Nec te, majores olim quod volveris undas,
Aut pigeat fractas cornibus eſſe minas.
Priſca novo decori concedit gloria: nomen
Et tibi de noſtro carmine forſan erit,
Interea, ſua qui per tempora digeris annum,
Signaque bis ſenis menſibus orta refers;
Qui roſeo lucem recidivam prom is ab ortu,
Et caput Heſperio gurgite condis idem;
Da, pater, emenſo redeuntes orbe jugales
Hunc properent curru ſplendidiore diem.

AD

NICOLAUM HEINSIUM, D. F.

Ut poëmata edat in lucem.

HEinſia progenies, ſoboles digniſſima patre,
Nec minus Aöniæ nobilis arte lyræ;
Deſine Pierios clauſtro cohibere libellos:
Egregium cœli luce fruatur opus:
Cede locum precibus; clemenſque tot annue votis:
Nam mundi cauſſam totius unus ago.

Si

Sic fueris felix ; & cœpto aſpiret amori
Fautor Acidaliâ cum genetrice puer :
Sic formoſa pari capiatur amore puella;
Atque det obſequio perpete victa manus:
Sic, tibi quæ velat juvenilem laurea frontem,
Æternum viridi cingat honore comam.
Nil pudor, aut nimium præpoſtera cura moretur.
Delicias orbi parce negare ſuas.
Tum longe poſitæ diſcent tua nomina gentes,
Nomina non ullo diſperitura die;
Sidereumque pater poſtquam migrarit ad axem.
Et via ſplendebit lactea cive novo,
Vivet in Heinſiade patriæ virtutis imago,
Inque ſuâ genitor prole ſuperſtes erit;
Heinſius & terræ celebrabitur , Heinſius aſtris,
Quod tamen in ventos hinc procul omen eat.
Servet humus , miſſum quod venit ab æthere pignus,
Depoſitoque neget velle carere poli.
Nil vetat hoc , alis paribus quin Fama levatos
Tollat humo gnatum cum genitore ſuo:
Ipſe ſed haud prohibe. Quid ſpe deludis amicos ,
Et trahis ingratas deſidioſe moras ?
Sol, age, conſpiciat ; ſpectent, age, carmina ſolem,
Quæ Venus,& Charites, condecoratque Lepor.
Inclyta cur damnas invifis ſcripta tenebris ?
Sævior ah ſævo cum furit unda mari !
Vatibus ut mores placidæ finxere Camœnæ ,
Aſperitas illos ſic quoque nulla decet.
Mitius ingenium quare tibi debuit eſſe.
Debuit hoc certè non licuiſſe nefas.
O potius lateant inſulſi carmina Mævi ,
Quæ neque lima polit, queis lepor omnis abeſt ,
Et tamen audâces perrumpunt ſcrinia chartæ :
Hiſque datur cœli luce , dieque frui.
Hei quam diſſimiles jactantur diſpare fato ,
Et meritis merces debita rara venit!
Flectere jam tandem, juſtis permote querelis:
Haud tibi nam duro longius eſſe licet.

Vivere da meritis, vatum cultiſſime, natis:
Non potes officii non meminiſſe tui.
O ubi quæ numeris elegëia mollibus apta,
Atque tuis toties apta reperta jocis;
Sive ſupercilium dominæ, frontemque ſeveram,
Et libet averſæ non bona verba queri;
Dicere vel, quando lepidis arriſit ocellis,
Viſaque ſit vati blanda puella ſuo.
O ubi, nil decori quidquam ceſſura priorum,
Cætera tot, Clario nata favente deo,
Seu canis heroas, nimium nimiumque beatos
Poſtera quos tali ſæcula vate ferent;
Sive ſonas aliud quodcunque, decenter, & ore
Quo velit Aönidum quælibet ipſa loqui.
Te (quod ego nequeo) moveat te, ferrëe, ſaltem
Leida parens, cunctis pulchrior una locis.
Hæc (prece molliri durus ſi poſſit alumnus)
Cum Batavis multa ſupplicat uſque prece.
Sed neque cum ſolis ea ſupplicat una Batavis;
Quod petit ipſa, ſimul plurima turba petunt.
Ecce quotus Rhenum, quod aut bibit incola Moſam,
Et Tagus & Tiberis, quod rogat ipſa, rogant.
Terna ſimul rogitant Charis, & cum matre Cupido,
His aliquid (nimis ah ſæve) negare potes?
Frange truces animos, pharetrati mater amoris;
Corda ſuperba domas tuque Puerque tuus.
Sunt tibi, Diva, faces, certæ ſunt, Diva, ſagittæ;
Utraque vel magnis tela tremunda deis;
Quæ tuus ambo manu tenera quatit arma Cupido:
Nec teneram fallunt illa vel iſta manum.
Hac ope ſubnixus puer oppugnavit Olympum,
Perculſoſque ferunt intremuiſſe deos.
Ipſum rumor ait cœlo fugiſſe tonantem;
Invictum tauro diſſimulante Jovem.
Fallor? audimur? tantis obſiſtere noli
Tu modo numinibus, ſi quid amice, ſapis.
Forſitan excierim plures tibi cognita divas
Numina, Pieridas, Pieridumque ducem.

Haud gravis ille ſolet cultoribus eſſe poëtis.
Et quid apud facilem non pia vota queat?
Pars ego cultorum memini quotacunque fuiſſe,
Numinibus faciens lacte, meroque tuis.
Ardua Pierii ſcandebam culmina montis,
Et nihil haud etiam nominis inde tuli.
Neve piget faſſum: ſeu me vagus impetus egit,
Aut animus tritas neſcius ire vias.
Jam mea ſuccedunt gravioribus otia curis,
Et profugus toto pectore Phœbus abit.
At licet, æternos memorans per ſecula vates,
Poſt obitum de me Fama ſilere velit;
Ut tamen aſpiciant dignam tua carmina lucem,
Incipias precibus ſi tribuiſſe meis,
Grata mihi multum debere fatebitur olim
Poſteritas, meritos gratia ſi qua manet.

AD
ROCHUM HOFFERUM, Adr. F.

Cognatum, in Gallias abeuntem.

IBis ad extremum ſine me, dilecte, Garumnam.
Jam patriâ durus navita ſolvit humo.
Ibis, & ingentes circum mirabere fluctus,
Quos levis everſis egerit Eurus aquis.
Immemor ah nimium, vetereſque oblite ſodales,
Quos tua Lugdunum, ſacraque ſervat humus.
Immemor ah nimium, caramque oblite puellam,
(Hei mihi, quam tepidè te tuus urit amor!)
Quæ lacerata comas, & tundens pectora palmis,
In mare promiſſam plorat abire fidem.
Surde nimis vates, patriis ah ſurdior undis,
Durities ſtudii non erat illa tui.
Artibus exculto Clariis, Paphiâque magiſtrâ
Debuit ingenium mitius eſſe tibi.
Quæ tibi mutarunt nimis invida numina mentem?
Unde novus rigor hic? Quoque receſſit amor?

At

At memini certe, cum te tua Leyda teneret,
(Cur te non etiam nunc tua Leyda tenet ?)
At memini certè, damnabas, optime, mecum
Sævitiam Phrygii,ſtultitiamque ducis,
Quem triſtes Hyadas, nimboſi & Orionis iram
Reginæ thalamis præpoſuiſſe ferunt.
Theſea damnabas deſertæ crimen amatæ,
Et ſimilem patri Demophoonta ſuo.
His quoque nominibus tua nomina jungere tentas?
Non aliunde tibi fama paranda fuit?
Scilicet hâc etiam magnus cenſebere famâ.
Jactabit titulos poſtera turba tuos,
Qui ſiccis oculis potuiſti linquere Caram,
Illa ſuæ ſortis dum gemit uſque vicem.
At melius fremitus Euri, Boreæque tumultum,
Quicquid & horrîſoni concitat aula Dei,
Jurati cum tenſa furent in carbaſa fratres,
Et jam frangendam jamque timere ratem,
Quam leviter preſſis imponere ſerta capillis,
Quæ genuit ripis Aonis unda ſuis;
Et teneris dociles digitis impellere nervos.
Officio tali convenit iſta manus.
Jam ſatis æquarum tibi nota volumina legum,
Et quantum Latii pagina juris habet.
Quid Pauli rubrica vetet, Maſurique notaſti,
Has habuit partes prima juventa ſibi.
Quod ſupereſt, impende tuis, te mater Amorum
Flagitat, & poſitâ cuſpide parvus Amor.
Quodque tibi cauſſis præponderet omnibus unum,
Quo deceat flecti pectora, Cara rogat.
Quid tibi cum pelagi rigidis commune procellis?
Non amat Aonias Nereis unda Deas.
Terra colenda tibi eſt, terra eſt habitanda poëtæ,
Materiem dederit luſibus illa tuis.
Illic ſub viridi proſtratus molliter umbrâ,
Aonium excires in tua vota chorum.
Serta tibi patriæ legerent ſolennia Nymphæ,
Junctaque cum myrto laurus amica foret.

Sen-

Sentiat iratum numen, quicunque Dionen
  E medio genitam dixerit eſſe mari.
Nudus Amor gelidi fugit aſpera frigora ponti,
  Nuda Venus gelidi Nereos horret aquas,
Illa colit terras: hâc præſide læta vireſcit
  Terra; colorato germine ridet ager.
Tu quoque jam dudum pharetrati miles Amoris,
  Ne Veneris regno transfuga cede tuæ.
Pone truces poſito requieſcere murmure ventos;
  Strataque jam tutam præbeat unda viam,
Innocuas vexat prædatrix turba carinas:
  Turba procelloſo ſævior una mari.
Illa negat placidis fera cedere turba camænis;
  Carmina non illam, blandaque plectra movent.
Dii, precor, avertant, & in æquora triſtia mittant
  Omina, ſucceſſum non habitura ſuum!
Sin tamen obfirmas, & ſtat ſententia menti,
  Inclyta Borbonii viſere regna ducis;
Quod ſupereſt, multis ſequimur tua carbaſa votis.
  Hoc operis reſtat, culte poëta, mei.
Æolus impoſito conſtringat carcere ventos,
  Occluſuſque premant ferrea clauſtra fores.
Eure veni, ſolus tibi demptâ compede liber,
  Vincla tibi dempſit jam pater, Eure veni.
Non tumido flatu, non nimbis triſtibus aſper,
  Sed facili votis flamine vela ferens,
Neptunus volucres agitet per cærula currus,
  Frænaque laxatis ſpumea ſolvat equis.
In pelago ludat niveis Galatea lacertis;
  Sæva cavo Triton mitiget ære freta.
Trompius infeſtos ratibus procul arceat hoſtes;
  Solus aget pavidos nominis ille timor.
Sic meus Hofferus peregrinas tendet ad oras,
  Et propero tangat Gallica rura pede.
Patria ſic illi cito tecta reviſere detur,
  Vate pio nimium quæ caritura diu.
Sic Caræ tot vota bonæ, tot vota parentum
  Præveniat reditus nuncius ipſe tui!

GWIL-

AD GWILHELMUM CROMONIUM.

OTia, Cromoni, feſſæ gratiſſima menti,
Otia me noſtris luſibus apta juvant.
Otia dant Superi. Nec te, cariſſime rerum,
Detineat fauſta luce ſevera Themis,
Aut rabies inſana fori. Themis ipſa Batavis,
Ipſa Themis Batavis otia multa facit.
Aſpicis, ut querulas ſuſpendit curia lites?
Et metuit nullus judicis ora reus.
Aſpicis ut Batavi ceſſant reſponſa Lycei?
Neve frequens pubes ad ſua ſigna venit.
Jam vocat in virides nos ſylvas nobilis Haga,
Delicium Batavi nobilis Haga ſoli.
Illa ſuos nobis aperit blandiſſima colles,
Quos hilari circum gramine veſtit humus,
Et denſis aperit foliorum populus umbris,
Populus, & ſummo quercus amata Jovi.
Hoc nemus, hos colles, hæc prata Secundus amabat.
Materies Muſis hæc loca ſemper erant.
Grotius huc etiam Pindo ſua numina traxit,
Cum fugeret ſtreperi jurgia mille fori.
Quinetiam inſcriptæ ſervant ſua carmina fagi,
Sive tuâ, Groti, ſive, Secunde, manu.
Huc juvet inſomnes ceſſatum ducere curas,
Auferat iratus tædia cuncta Notus.
Eſte procul duri, durum genus, eſte labores,
Auxia mens iſtis non erit apta locis.
At faciles in vota joci, trinæque ſorores,
Quas comites ſecum. Cypria ſemper habet.
At veniat tetricis inimica Lubentia curis.
Sponte Venus patrios deſerat ipſa lares.
Non laſciva Venus, qualem ſibi fingit amator,
Pectora qui primo tactus amore calet:
Aut qualem Phrygius quondam conſpexit adulter,
Arbitrii pretium cum tulit ille ſui.

Sed

Sed quæ ſodereos aſtrorum temperat axes,
  Nullius ſceleris conſcia Diva ſibi;
Quæ rerum ſeriem manſuro firmat amore,
  Irrita ne rumpat fœdera læſa fides.
Una venuſtatum genitrix, quæ ſemper euntem
  Matrem ponè volant agmina fida ſuam.
Hac ſine nil Muſæ, nil triplex Gratia poſſunt,
  Nil pote qui Clariâ temperat arte chelyn.
Vos quoque Theſpiades, gratiſſima numina, Divæ,
  Numina non vano nomine culta mihi,
Vos quoque cum Phœbo Phœbeos linquite montes,
  Nec teneat veſtrum Pegaſis unda chorum.
Tu quoque, Cromoni, propera, nec tempora differ:
  Neu precibus quidquam diſce negare meis.
Quid mihi cum Venere eſt? quid tecum gratia triplex,
  Et vos Pierides, Pieridumque pater?
Si mihi præ rebus carum caput omnibus unum
  Vultibus à noſtris, ſi meus abſit amor?
Cromoni dilecte, veni, ſic mater Amorum,
  Sic placido faveat lumine ſancta Themis.
Hæc apices tibi Diva ſui concedat honoris,
  Et meritas lauru vinciat æqua comas.
At velit illa tuam tibi conciliare puellam,
  Poſſit ut hanc conſtans demeruiſſe labor.
Nam quoque, nec dubito, Paphio tu læſus ab igne es.
  Egregiis animis convenit ille calor.
Cromoni dilecte, veni, te maxima fagus,
  Serpenteſque hederæ, te nemus omne vocat.
Te dumeta vocant torrenti impervia Soli,
  Frigoraque umbrarum grata ſub hoſpitio;
Quæ dulcis Zephyri levis halitus inter-ſpirat
  Picturato hærens Chloridis in gremio.
O Hagæ vicina meæ gratiſſima Tempe!
  O loca judicio delicioſa meo!
O fagi! ô nemora! ô nemorum pia numina Nymphæ,
  Per nemora hæc ſolitæ ducere ſæpe choros!
Vos ego (ſic fautor cæptis aſpiret Apollo)
  Tollere victuris nitar in aſtra modis.

Nec

Nec nemus Haganum vincant vel Phthia vireta,
  Vel loca ſi qua ſuper nobile nomen habent.
Illa tamen facies longè gratiſſima rerum,
  Illa novis iterum ſylva beata comis,
Quamvis de ſupero tot pellicit æthere Divos,
  Illa mihi ſordet te ſine, noſter amor.
Cromoni dilecte veni, viden ut tibi molles
  Arbore ſub viridi præbeat herba thoros?
Hic pariter ſtrati jaceamus; & otia nobis
  Læta meo genio convenienter eant.
Litibus invigilet, qui jurgia ducere novit,
  Vulturiumque poteſt diſſimulare togâ,
Qui ſpe ſollicitos, & fraudans ære clientes,
  Mango ſacri juris vendit, emitque dolos.
Fulminet ad Moſam Auriacus, Rhenumve bicornem.
  Agminaque audaci ſternat Ibera manu:
Vel modò ſublatas evertat ad æthera moles;
  Deque triumphatâ ſigna revellat humo.
Ad nos quid litui, rabulæve tonitrua linguæ?
  Blanda quies ambos in ſua templa rapit.
Hic procul à ſtrepitu meritorum grandia dignis
  Poſſumus heroum dicere facta ſonis.
Poſſumus, atque licet, nec quidquam cætera curo.
  Ultima virtuti meta ſit iſta meæ.

IN
LAMPRAM.

GAudia dum lecti decerpit Lampra jugalis
Inſolitumque pii diſcit Amoris opus.
Virginum, ait, doleo proh? infelicia fata,
Quas ſuus haud tali compede vinxit Amor.

AD
NICOLAUM HEINSIUM. D.F.

De mirabili obſidione, & liberatione urbis Lugduni Batavorum.

ALtera poſt decimas lux eſt exorta kalendas,
Et rutilo feſtum promſit ab axe jubar.
Hæc eſt illa dies, quà Leidam miles Iberus
Dicitur infami deſeruiſſe fugâ.
Hæc eſt illa dies, quæ finem prima, modumque
Contulit ærumnis, maxima Leida, tuis.
Hæc eſt illa dies tantarum conſcia rerum,
Nec Batavis fulſit gratior ulla meis,
Quâ furias Mauri, conjuratoſque labores,
Riſit, & inſanas Leida ſoluta minas,
Baldæuſque ferox, fugiens per tela, per undas,
Leida, vale, dixit, non adeunda mihi:
Leida, vale, ſi nec magni reverentia Regis,
Nec potuere preces tangere, Leida vale.

Illa dies nullo Batavis reticebitur ævo,
   Hoc pia libertas tempore tuta fuit.
Illa dies Batavos, libertatemque cadentem
   Fulſit, & in melius fata ſiniſtra tulit.
Salve feſta dies. Si quid pia numina poſſunt,
   Et faveant vati ſæpe vocata ſuo,
Forſan & hic calamus laudem tibi conferet olim,
   Forſan & à noſtro carmine nomen erit.
Sed neque Pegaſides deerunt in vota ſorores.
   Materies nunquam gratior ulla fuit.
Quod Batavas habitet terras, Helicone relicto,
   Cynthius, & Leidæ mænia Pallas amet,
Cephiſumque amnem, ſimul & Permeſſida lympham
   Deſerat, & Cirrham turba novena ſuam,
Hoc tibi Lugdunum, materque Batavia debet,
   Hoc tibi Pegaſides, Pegaſidumque pater.
Salve, feſta dies, rerum gratiſſima, ſalve.
   Digna coli Batavis, Pallade digna cani.
Luce tuâ Batavi ſecurâ vivimus aurâ.
   Totaque libertas, totaque vita redit,
Paxque ſerenato ridet gratiſſima vultu,
   Junctaque cum ſociâ relligione fides.
Luce tuâ, quantum nobis modo faverit æther,
   Vidimus, & Batavi conſcia turba ſumus.
Sævus Iber Batavos implerat milite campos,
   Totaque ſub caſtris tecta latebat humus,
Nec ſatis externos fuerat timuiſſe furores,
   Majus ab internâ ſeditione malum.
Lurida diſſidii ſpargit diſcordia cauſas,
   Mens quoque non eadem, nec metus unus erat.
Dira fames longâ conſumſit corpora tabe,
   Et gula, ne pereat, ingenioſa fuit.
Urbe ſimul totâ graſſatur lurida peſtis,
   Et cumulum tantis addidit atra malis.
Qualis erat, Superi, facies triſtiſſima rerum!
   Et deſolatæ quis color urbis erat!
Qualis erat patriæ prope jam morientis imago!
   Et libertatis pene labantis opus!

Sat

Sat luctu, lachrimiſque datum. Nova tempora ſurgunt,
  Abſconditque ſuas trux Libitina faces.
Aurea lux ſurget, tantorum meta laborum:
  Mænia Lugduni deſerit hoſtis Iber.
Non noſtræ fuit illud opis. Pugnavit Olympus,
  Et tutelares emicuere Dei.
Ventorum jurata cohors ſua regna reliquit,
  Impulit æratas Æolus ipſe fores.
Fluviorumque obices Nereus diſſolvit, & undas
  Undique laxato miſit in arva pede.
Ipſa Venus miſit niveas in vota columbas.
  Hoc quoque debemus, maxime Douza, tibi.
Occupat infeſtos fatalis terror Iberos,
  Tergaque dant, nullo, ſponte, fugante, fugæ.
Priſca redit facies rerum, tollitque periclis
  Altius aſſertum libera Leyda caput.
Aurea libertas, niveis invecta quadrigis,
  Gaudet ad aſſertos figere tecta lares.
Ipſa ſuos illuc transfert Aſtræa penates,
  Et quicquid Latii pagina juris habet,
Manſuraſque ſibi figit Tritonia ſedes,
  Caſtalideſque Deæ, Leucadiuſque Deus.
Te canimus, te, feſta dies, celeberrima rerum,
  Inter honoratas prima colenda dies.
* Nec magis ipſa tuam celebrarit Græcia lucem.
  Imponens patriis tura Sabea facis:
Tota Marathoniis quantumvis Perſia Campis,
  Concidit, & tantas victa profudit opes,
Junge meos Grajis, lux maxima, junge Batavos,
  Nec minus à Batavo nomine nomen habes;
Nec minor hinc tibi partus honos. Tibi gloria noſtri
  Serior, at certe non minor illa venit.
At tu qui longos in ſæcula digeris annos,
  Signaque beſſenis menſibus acta refers,
Quique diem roſeo felicem ducis ab ortu,
  Adverſoque tuos æquore mergis equos,

 Fac,

* *In quam incidit pugna Marathoniana.*

Fac, Pater, emenſo redeuntes orbe jugales
Hanc ſignent radio candidiore diem.
Quæque dedit vitam libertatemque Batavis,
Omnibus eniteat gratior una dies.
Interea feſtis firmabimus omina votis.
Quælibet accenſis luceat ara focis.
Verbaque dicemus Divos motura Batavos.
Fallor? An incertum dextera firmat avis?
Adde tuas cum ture preces, cultiſſime vatum,
Adde tuas noſtris; & tua vota valent;
Teque Deum gens omnis amat. Tu, cede precanti,
Heinſia progenies, ſollicitaque Deos
Liſa ſimul veniet, nectetque e flore corollas,
Liſa tuis dignum nomen adepta modis.
Illa tibi ponet lectas ex ordine myrtos,
Sertaque Daphnæis colliget e foliis.
Illa Dionææ ſuſpendet munera matri.
Nec poterit Lyſæ Diva negare tuæ.
Nec poterit non illa ſuæ meminiſſe diei,
Nec poterit Douzæ non meminiſſe ſui.

AD APOLLINEM, *& Muſas de Studiis ſuis.*

SAncte Pater Pindi, Divæque ignoſcite faſſo,
Sponte meâ Themidos non ego caſtra ſequor.
Nec fidei ruptæ dicar reus, Aurea teſtor
Plectra (decent veſtras aurea, Phœbe, manus)
Et chelyn, & lauri nunquam morientis honores;
(Plus Paphiâ myrto convenit illa tibi.)
Numine majori quo ducimur ire neceſſe eſt.
Imperioſa nimis, fortis & illa Dea eſt.
Sœpe levi volui reſonas impellere chordas
Pollice, conantem deſtituere manus.
Ah quoties animus ſolitum deducere carmen
Legitimiſque tulit nectere verba modis!
At mihi Diva Themis tenebras offudit inertes,
Et mentem nebulis obruit uſque ſuis.
Sed bene, ſuccurrunt feſſis pia Numina rebus,
Leydaque præſentes ſenſit adeſſe Deos.

Si qua

Si qua tamen priſci reſtat cultoris imago,
Ad tua ſi merear limina ferre pedem,
Da veniam, ſi rite tuas provolvar ad aras
Hoſpes, & in flammas maſcula thura fero
Non ego de noſtro proſcripſi pectore Muſas;
Illa ſibi votum numina pectus habent.
Ah quoties Themidos myſteria perſcrutanti
Excidit è manibus nobile Juris opus!
Obverſabantur, gratiſſima numina, Muſæ
Continuo, & mentem detinuere meam.
Non Themis expellat, quamvis vicina Tonanti
Aſſideat, ferro vindice cincta latus.
Mille licet ſecum trahat ad ſua prælia leges,
Inque meum vertat jura ſevera caput,
Otia me placitis tranſcribunt ſæpe Camœnis,
Otia legiferæ quàm bene rapta Deæ!
Fallitur, Aonidas poſcit quicunque faventes,
Nubila cum mens eſt, nec ſatis apta ſibi.
Oderunt tetricas Permeſſia numina curas,
Ingenii eſt carmen liberioris opus.
Id mihi ſi detur, forſan felicior eſſem,
Et mea poſt-genitis inclyta fama foret.
Forſan in egregios animus mihi ſurgeret auſus,
Dedidicit dudum vilia vota ſequi.
Vota valet potiora ſequi, modo Mater Amorum,
Cyprius & votis annuat ille Puer.
Paſſum ego dura pati dominantis jura puellæ,
Hæc mihi libertas, vita ſit iſta mihi.
Omnia non dubito mihi ſomnia fingere poſſem,
Qualia ſollicitus ſomnia fingit amans.
Sunt tamen aut noſtris contraria ſydera votis,
Aut nequeunt ullos flectere vota Deos.
Eſt mihi nam pectus nullo penetrabile telo,
Nulla meos ſenſus forma movere poteſt.
Nuper adhuc Nymphe, nullis ceſſura Deabus,
Conſtitit ante oculos conſpicienda meos.
Adfuit & Corydon, nec iners, nec ineptus amator,
Nec primum Idaliis ignibus oſſa calens.

Brachia mirabar, mirabar eburnea colla:
  Marmora queis cedant, Sithoniæque nives.
Mirabar digitos: queis cedat nuntia ſolis,
  Cum prodit rutilas ætheris ante fores.
Quid memorem auratâ ſtellantia lumina fronte?
  Diva Paphi tantum ſpectet iniqua decus.
Ipſe Puer flammas accendit ab igne puellæ.
  Luxerunt radio jam meliore faces.
Quid roſeo ductu geminis diſtincta labellis
  Ora loquar tandem, purpureaſque genas?
Tactus erat Corydon, ingenti ſaucius ictu,
  Nec modicè optari digna puella fuit.
Hæſit, & attonito dum luſtrat ſingula viſu,
  Altius infixo pectore ſedit amor.
At mihi torpebat glaciali frigore pectus,
  Quam prope materies, tam procul ignis erat.
Aſpice me, qui ſemper amas, male ſanus amator,!
  Et nimium flammas parce fovere tuas.
Me mea ſervitio mens eximit. Ite profani,
  Libera ſub dominæ mittite colla jugum.
Ite animæ imbelles, mihi ſi nec Delius unquam,
  Numina nec Pindi prona favere velint,
Quam Paphiis tacto prius ignibus, Aonis umbræ,
  Cumque Meduſæo fonte valete Deæ.
Sancte Pater valeas, non ſunt tua munera tanti,
  Laurus, & argutæ plectra canora lyræ,
Ut cupiam inſomnes toties traducere noctes,
  Feſſa nec in molli ponere membra toro,
Aut dominæ querulas fundens ad limina voces,
  Nil audituras ſollicitare feras.
Sic mihi, poſt cineres ſi qua eſt ventura ſepultos,
  A cultu venit gloria nulla tui.
Et quæ præterea tolerat non ſanus amator,
  Gaudia dum captat, tædia certa ferens.

AD

AD
ANDRÆAM, ET ERANCONEM VANDER GOES.
FRATRES GERMANOS.

Ubi per occaſionem ratio redditur, cur nullas lini nomine decimas hodieque exolvant Goeredani.

GOeſiadæ, nobis æqualia nomina, fratres,
  Et par legiferæ cura, decuſque Deæ,
Hos meritis victi vobis decurrimus orſus,
  Solvimus & gratæ, ſed leve, mentis opus,
Incultos Elegos, fætus ignobilis ocî,
  Plus etenim grato non licet eſſe mihi.
Cernitis ut veniat paſſis Elegia capillis
  Sordida, nec digno picta colore genas,
Sed neque, vel lacrymis oculos ſuffuſa decentes,
  Vel roſeo vultu lætior illa venit,
Sed, qualem decet eſſe meam, ſecura malorum,
  Idalii facibus nec tamen apta Dei.
Exulat ingratus toto mihi pectore mæror.
  Continuent æqui munera tanta Dii!
Exulat & longe laſcivi mater Amoris,
  Jura nec emeritus vindicat ulla puer,
Nec potuit pectus puer hoc tetigiſſe, nec ætas,
  Nec mea mens illis ignibus apta fuit.
Goeſiadæ fratres, lepidis vos ignibus urat;
  Vos melius parvâ cuſpide lædat Amor.
At mea me levibus tranſcribat Pieris auſis,
  Summa ſit, ô ſuperi, nominis illa meæ!
Dicam acies, Federice, tuas. Dicam horrida bello
  Agmina, quæ pavidus ſentit, & horret iber.
Dicam æquo tot parta tibi Mavorte trofæa,
  Quæque tuum velant laurea ſerta caput,

Et Moſam, Rhenumque haud unâ compede vinctum,
  Oceanumque patrem, tergaque vaſta maris.
Sed neque Goeſiadas ætas teſtabitur ulla
  Carminis immunes laude fuiſſe mei.
Dicam te indomitis pulſatam, Vornia, nimbis,
  Lætitiæ nuper conſcia terra meæ.
Dicam te valido cinctam munimine, Brila,
  Moſa ubi vicinas in mare volvit aquas,
Brila, Batavorum quæ libertatis origo
  Orbis ad extremi litora nomen habes.
Quoque mihi longe gratiſſima nomine dudum es,
  Altera Goeſiadis patria Brila meis.
Te quoque, vicino quæ ſurgis in aëra pyrgo,
  Quæ nomen tractus totius una tenes,
Cinctam hinc fertilibus dicam Weſtvornia pratis,
  Parte alia ſterili ſurgit arena jugo.
Dianæ, Cererique ſimul gratiſſima tellus;
  Invenit hic munus utraque Diva ſuum.
Nec te læta bonis, Theodori-Terra, ſilebo,
  Nec te pars Batavi, Bomenedæa, ſoli,
A Batavis vaſtâ Scaldis quam dividit undâ,
  Sic prope Mattiaci crederis eſſe ſoli.
Ante alias dicere meis, Goereda, camænis,
  Hoſpitii nequeo non memor eſſe tui.
Nec vos, Goeſiadæ, noſtri, par nobile fratrum;
  Hæret adhuc animo gratia tanta meo.
Quam cito fortunæ fugiunt ridentis honores
  Orbita nec certo ſtat bene fixa pede.
Illa ſuis quondam ſtatio fidiſſima nautis
  Talis, dum potuit nomen habere, fuit.
Nunc ſimul amiſit cum nomine nominis umbram.
  Et ſupereſt quaſſæ vix ſatis apta rati,
Et tantum refluo debet ludibria ponto.
  Hei mihi! Quas verſant invida fata vices!
Riſimus hos cineres, Cives, ignoſcite faſſo,
  Si nequeam veſtris ingemuiſſe malis.
Riſimus ingentis tantum fragmenta ruinæ,
  Reliquias operis, & monumenta ſui.

Hic

Hic ubi diſperſis quæruntur mœnia ſaxis.
  Pars etiam nondum tota ſepulta jacet.
Hic, ubi truncatis reſonans è mœnibus, echo
  Urbis ſolatur ultima fata ſuæ.
Fallor? an hâc tantum ſignatur imagine fatum!
  Hæc urbis facies intereuntis erat.
Umbra ſui tantum ſupereſt quoque mobilis Echo,
  Verbaque non audit, nec niſi mota refert:
Quis petit has oras niſi qui propiore movetur
  Nomine, qui cauſſas, cur remoretur habet?
Cui procul extremis errant in montibus agnæ?
  Et proavis dudum cultus aratur ager?
Effoſſis habitans cui præda cuniculus antris,
  Et lepus & perdix non peregrina placet?
Non huc ignotas appellet navita merces,
  Occiduive orbis, aut orientis opes.
Non huc rapta manu manſuraque ſigna, rateſque
  Infert Pleumoſio Trompius orbe redux.
Non tamen ignotum per ſæcula nomen habebis,
  Laus Batavi quondam non inhonora ſoli,
Merſa nec ingratis, Goereda, ferere tenebris,
  Si virtutis erit, ſi pietatis honos.
Hoc meruit victrix audaci fœmina dextrâ,
  Pro patriis geſſit quæ pia bella focis.
Tempus erat quando patria procul urbe maritos
  Æquoris undoſi detinuere ſinus,
Per freta pauperiem fugeret cum quiſque, per undas,
  Perque Notos vitæ prodigus ipſe ſuæ.
At ſociæ thalami ſolâ remorantur in urbe,
  Et patriæ ſervant tecta, ſuoſque lares.
Interea viduis impendet mœnibus hoſtis.
  Undique bellator ſurgit in arma furor.
Fœmina quid faceret telas deducere nata?
  Non operi tali convenit illa manus.
Arma gerant, & bella viri. Teterrime latro,
  Quæ rabies quis te cogit in arma furor?
Quid juvat imbelles ad prælia cogere turmas?
  Nec meritas quicquam ſollicitare nurus?

Si qua ſuper mentem tetigiſſet cura pudoris,
  Debueras certe bella movere viris.
Debueras in bella pari concurrere ſexu.
  Degeneres animos arguit ille pavor.
Arguit injuſtam pavor hic, te judice, cauſam.
  Sic quoque cauſa ſuo victa pavore cadit.
Sic quoque jam cedis, pulſuſque imbellibus armis
  Deſeris infami mœnia clauſa pede.
Fœmina, cui vires ars,& natura negavit,
  Reppulit egregiâ fulmina tanta manu.
Sæpe animo donant propiora pericula vires,
  Et deſperatus ſurgit in arma dolor.
Læva colum tenuit. Tenuit manus altera ſaxum.
  Sic defendendus mœnibus hoſtis erat.
Reppulit inſani ſic fœmina militis iras,
  Cumque ſuo fregit nomina tanta duce.
Sic conjuratas acies, forteſque cohortes,
  Cum duce degeneri juſſit abire fugâ.
Græcia quid priſcas nunc objicis æmula laudes,
  Magnaque fœminea parta trofæa manu?
Thermodontiacâ nunquam majora bivenni
  Dextera bellatrix geſſit Amazonidum,
Quam Batavæ fecere nurus. Dii! Gloria nullo
  Illa ſuper vivat diſperitura die!
Illa tulit quondam pretium,cum fœmina princeps
  Præmia pro meritis qualiacumque dedit.
Nam quoque nunc onerum colus eſt immunis & expers
  Quæ populi præſtant, Belgica noſtra, tui.
Nobilius longe tamen, & præſtantius unum eſt
  A ſera pretium poſteritate datum.
Sic tua, quæ tenebris, Goereda, ſepulta jaceret,
  Fœmineâ vivit gloria parta manu.

Concepta Goeredæ, 1641.

A D

AD

Elegantiſſimum Iuvenem

RULANDUM KINSCHOTIUM, C. F.

Cognatum Cariſſimum, è Germanicâ peregrinatione redux.

FInibus extremis terrarum elapſus & oris
 Tota ubi Barbaries ultima regna tenet,
Ad Patriæ tandem felicia litora noſtræ
 Hoſpes ab externâ pene revertor humo.
Cara mihi tellus, perculſi terror Iberi,
 Heſperiæ voto cuncta petentis obex,
Ad te confugio, domiti Regina profundi,
 Tu facili reducem ſuſcipe blanda ſinu,
A te certa ſalus tot jam mihi menſibus ægro,
 Et requies animæ grata petenda venit.
Hinc mihi pacatæ ſpirent jam mollius auræ,
 Et radio ſurgant candidiore dies,
Verque novum magni referat primordia mundi,
 Lætior & paſſim germina fundat humus.
At vos incolumi, dulces, pia turba, poëtæ,
 Serta date, & votis addite vota meis.
Solvar in amplexus, reduci faveatis amico,
 Et nova Rhenano promite vina cado.
Tu tamen ante alios (tibi enim me vincula juncti
 Sanguinis, & potior ſanguine nectit amor)
Aonidum propera, Kinſchoti, cura ſororum,
 Ferre ſalutiferæ debita dona Deæ.
Pone pios aris peregrini thuris honores,
 Multaque ſacratam victima tingat humum.
Talia ſervato poſcuntur ſacra ſodali.
 Officio Genius debeat illa tuo.
Quam prope Cocyti triſtes acceſſimus undas!
 Vidimus & furvæ lurida regna Deæ!

Utque

Utque caput denſis circum mors aſtitit umbris
Vix potuit cupidas abſtinuiſſe manus.
Languida me tabes, diffuſaque corpore toto
Fecerat exanguem diſſimilemque mei.
Fugerat alma quies, longæque ex ordine noctes
Pervigilem triſti detinuere thoro.
Interea rabidi lacerabant membra dolores,
Tuta nec à ſævis pars erat ulla malis.
Sed Deus avertit diſcrimina tanta, leveſque
Omina trans pelagum dira tulere Noti.
Ille reſumentem vires, animumque parantem
Impulit ad patriæ limina ferre pedem.
Addidit & prudens oracula certa futuri:
Ut valeas, Batavi ſufficit aura poli.
Ivimus, & primo favit fortuna labori:
Reſpexit reducem protinus alma ſalus.
Haga Deûm ſedes, invicti Principis aula,
Quâque nihil cælo gratius orbis habet,
Haga brevi ſpatio reddit mihi, tempore tanto
Reddere quod medicæ non potuere manus.
Non fuit heu! tanti, caris excedere terris,
Et procul à Batavis Weſtfala rura ſequi.
Cum nec triſtis hyems crudelibus obſtitit auſis,
Flumina quæ denſo ſtrinxerat alta gelu;
Nec potuit, toto circumdatus agmine fratrum,
Æolus inceptas impediiſſe vias.
Non tanti vidiſſe fuit commercia noſtri
Orbis & ignotæ nobile Pacis opus,
Totque Oratores, illuſtria nomina, quorum
Facundo populi pendet ab ore ſalus.
Nec tanti, comitem Batavis Heroibus iſſe,
(Cum modo pars aulæ quantulacunque fui,
Cum modo tot populi pacatam intrantibus urbem
Undique lætitiæ ſigna dedere novæ.
Scilicet à nobis pacis momenta futuræ
Ipſe dari, & rebus pondera faſſus Iber.)
Omnia nec tanti, tanto ſpectanda theatro
Si qua oculos unquam detinuere meos:

Ut

Ut mihi cum morbis, cum mille doloribus ægro
  Luctandum toto tempore pene foret;
Totque pati à medicis ludibria, totque labores
  Debuerim in triſti ſuſtinuiſſe thoro.
Quam melius noſtri nemoris ceſſatur in umbra!
  Gratior hinc feſſis excipienda quies.
Otia quam melius nobis ſua dividit Haga,
  Sive placent ſylvæ, proxima ſylva patet,
Seu potius fæcundus ager, ſeu paſcua læta,
  Læta gregi cingunt paſcua, cingit ager.
Seu litus petiiſſe juvet, fluctuque tumentem
  Nerea, poſt colles proximus ille latet:
Sive urbis placeant tot commoda, nominis expers
  Hæc melius cunctis urbibus Haga dabit.
Hic, dum parva mihi concedunt tempora Divi,
  Otia ſecuræ dulcia mentis agam.
Hic mihi jucundi tecum repetentur Amores,
  Seu fuerit veſter, ſeu meus ille calor.
Hic Lacrymas Nyſæ, & faſtidia dura canemus,
  Dum queritur fluxam credula Nyſa fidem.
Hic male felices timidi cantabimus ignes
  Daphnidos, & faſtus, Phylli ſuperba, tuos.
Forſitan & Bromius ſocio comes ibit Amori,
  Hunc quoque Parnaſſi culmina ſacra colunt.
Sed tenui curas, modicoque fugabimus hauſtu.
  Non amat inſanum ſobria Muſa merum.
Sic pariter placidos condemus in æquore ſoles,
  Miſta nec innocuis lis erit ulla jocis;
Dum licet, & domini necdum mandata potentis
  Ad pacis jubeant regna referre pedem.

Hagæ die XIX. *Aprilis*, M. DC. XLIV.

Verecundiam ſuam incuſat.

DEgener, & nunquam divos habitura faventes,
  Qui nimium faciles ante fuere tibi,
Neſcia mens fatis ultro venientibus uti,
  Et deſideriis ipſa favere tuis,

Quæ

Quæ te præcipitem præpoſtera cura pudoris,
Quæ male ſollicitam devius error agit?
Scilicet æternos propius cognoſcere vultus
Et dominam optabas tangere poſſe manum,
Et riſit ſatis æqua tibi fortuna; ſed illam
Ridentem nimium deſtituiſſe pudet.
Errabam Dominæ felicia lumina propter,
Formoſæ toties pondere preſſa Deæ.
Seu favor ille fuit, animi ſeu fata periclum
Tum fecere mei, prodiit illa foras.
Talis purpureo ſurgens Aurora cubili
Ætheris auratas conſtitit ante fores.
Ilicet, attonito relegens veſtigia vultu
Ulterius propero non bene fixa pede,
Hærebam, tacito ſuſpiria pectore ducens,
Quid facerem incertus, nec memor ipſe mei.
Ipſa capax tantæ (pudet heu! cogorque fateri)
Tacta metu, nondum mens mea fortis erat.
Heu male perrexi: potui rediiſſe: morantem
Debuerant ipſi ſponte referre pedes.
Ante tamen prono formoſos pectore ocellos
Mentis adoravi lumina bina meæ.
Ipſa videbatur miſero faviſſe Poetæ,
Obſequii parvo munere paſſa coli.
Ipſa, levi faciem flectens pulcherrima riſu,
Viſa fuit votis æquior eſſe meis.
Cuncta ſatis timidam poterant impellere mentem,
Heu, Superi, nimium mens mihi læva fuit.
Heu, Superi, mens læva fuit! ſed parce timenti,
Quæ colis Idalium, turrigeramque Paphon,
Parce, Venus, vati. Faveas mitiſſima tantum,
Et ſtolidum toto pectore pelle metum.
Fortior aſſiſtat noſtris audacia cæptis,
Qualem rite meus jam ſibi poſcit amor.
Tu quoque dejectum rudis erige pectus amator,
Jam Dominæ melius, jam memor ipſe tui;
Illa, procul faſtu (pulchris comes ille puellis)
Neſcit amatori durior eſſe ſuo.

Illa procul vulgo ridet commercia vulgi.
  Æmula nil vulgi forma Deabus habet.
Nos quoque, ſi dubites, nihil eſt cur oderit illa.
  Nos procul à vulgo libera turba ſumus.
Si qua fides Phœbo, nec me mea Numina fallunt,
  Jam veniet capiti ſacra corona meo.
Quicquid erit (nec enim non ſpondent omnia famam,
  Nec mea degeneri gloria ſerpet humo)
Nympha potens, tantum ſine te patienter amari,
  Sola meo junctum nomine nomen eris.

Dina primum viſa.

CUm mihi ſe primum pulcherrima Dina videndam
  Præbuit, Haganæ ſub foliis ſiluæ
Siderea exiguo perfudit lumina riſu.
  Inde mihi ſeſe protinus eripuit.
Illa quidem fugit, ſed amœni gratia riſus
  Inſedit menti fixa meæ penitus.
Quid faceret cunctis armata cupidinis armis,
  Tam exiguo telo ſi facere iſta poteſt?

In Speculum Dinæ miſſum.

HOc tibi, quod formæ faciles effinxit in uſus
  Artificis, Nymphis, officioſa manus,
Dina, tuus vates, animi leve munus amantis,
  Qui pretium ſolus contulit omne ſuum,
Mittit, &, ulla ſui tibi ſi modo cura ſuperſit,
  Accipias oculo non renuente, rogat.
Seu libet implicitos evolvere, vita, capillos,
  Aut facili ſparſos compoſuiſſe manu,
Seu libet ornatas, pulcherrima, ſumere veſtes,
  Quæ niveos artus, quæ tua membra tegant,
Demere vel cultu, vel ſi libet addere, quicquam,
  Sufficiet votis fida miniſtra tuis.
Hinc quoque non unum poteris cognoſcere vultum.
  Mille tibi formas ars imitata dabit.

Seu nudam ſpectare juvet, ſpectabere nuda,
Qualis ab æquoreis Cypria ſurgit aquis,
Qualis ad Eridanum duplici comitata ſorore
Vere novo ducit Gratia nuda choros:
Cum natura ſuo gaudet procedere cultu,
Sola nec externam forma requirit opem.
Jam diſces, natura ſui quid diſtet ab arte,
Quam nihil ad formam conferat iſta tuam.
Difficilis nimium cui ſe natura negavit,
Subſidium decoris quærat ab arte ſui,
At tibi, tam facilem cui ſeſe indulſit habendam,
Nil opus externas quærere delicias.
Jam quoque venantem poteris ſimulare Dianam,
Dimidium tenui tegmine cincta latus.
Si videam talem (videam, pulcherrima, talem,
Ah nimium voti ſumma modeſta mei eſt,
Hoc etiam, quodcumque tegit tua pectora, deſit)
Si qua latent, credam jam meliora tegi.
Talis amatori pernicibus ignea plantis
Viſa fuit fugiens Theſſala Nympha Deo.
Sin etiam pulchro cupias procedere cultu,
Hic licet aſpicias, quam bene membra tegat.
Hunc etiam fas eſt bene te, mea Dina, decere.
Sic mihi, ſic vulgo conſpicienda venis.
Ille licet decori poſſit nihil addere tanto,
Nil tamen hoc ipſo quod tibi demat habet.
Si decus inde poteſt multis accedere Nymphis,
Queis natura ſuas parca negavit opes.
Ah quoties avidus ſic eſt deceptus amator!
Erroriſque tulit tædia longa ſui!
Præcipue cum nox, ſimiles induta colores,
Et poſito fallax juncta lucerna mero.
Diſce etiam mitem facilis componere vultum.
Forma ſuæ rugas non bene frontis amat.
Nec commota decet formoſas ira puellas.
Offer rivali lumina torva meo.
Conſule tunc fidam, pulcherrima Dina, miniſtram,
Conſule, adulari neſciet illa tibi.

Illa levi ductu formoſos flectet ocellos,
  Ut vati exhibeat lumina blanda tuo.
Quos tibi præterea commendem muneris uſus,
  Commoda tot ſpeculi, nec mihi nota ſatis ?
Cuncta dabit tempus: ſi quid tamen, optima, neſcis,
  Quæ, puto, me melius cuncta docere potes.
Hoc tantum, mea Dina, ſuper monuiſſe juvabit.
  Da veniam, tecum ſi juvat uſque loqui.
Muneris adverſa formoſam parte puellam
  Artificis pinxit officioſa manus.
Addidit & cultum, qualem decet eſſe puellæ;
  Quæ ſequitur mores, Gallia culta, tuos
Aſpice picturam: lepidos mirabere ductus.
  Crede mihi vultum vix habet aula parem.
Omnia cum cupidis circum luſtraris ocellis,
  Pars inverſa tibi jam meliora dabit.
Cypridis æquoreæ veniat formator Apelles:
  Omne ſimul ſummæ conferat artis opus:
Non tamen hâc poterit meliorem pingere formam,
  Nec tabulâ verum ſic ſimulante decus.

DINA SAUCIA.

QUalis purpureos fundit roſa prima rubores,
  Picta colorati veris honore genas,
Cum matutini deſtillat ab æthere roris
  Lapſa ſinu dulcis lacruma purpureo,
Tum ſi Threicio gracilem lectura corollam
  Munus amatori, cum croceo è thalamo
Prima recens pulſis Aurora renaſcitur aſtris,
  Erret odorato pulchra Venus nemore,
Illa manu facili rorantia germina tangit,
  Labitur à tactis lacruma decidua
Formoſi roris, formoſi lacruma roris
  Suppoſitum terræ labitur in gremium,
Ni circum pharetrata cohors, gens omnis Amorum
  Adſit, lapſuraſque excipiat lacrumas.

Pars pharetram demtis implet roſeo imbre ſagittis,
  Stillantem patulâ colligit ille manu.
Copia cum deſit,ſatis huic, ſi roris amati
  Gutta levis ſummos inficiat digitos.
Talis purpureum fudit mea Dina cruorem,
  Audacis ferri ſaucia vulneribus.
Purpureus ſanguis, formoſi corporis hoſpes,
  Rore recens nato ſanguis amabilior,
Vulnere de tepido procurrens deſtillabat.
  Illa quidem (poſſet) vulnera diſſimulet,
Qua licet, & vellet potius non læſa videri,
  Vulneraque injectis veſtibus involuit.
Nequicquam connixa manu. Cruor undique circum
  Neſcius obſtantes ferre moras penetrat.
Illa manum demens (nec enim celare valebat)
  Currere permiſit liberiore viâ.
Sanguineas læſo manantes pollice guttas,
  Quas ego ſollicitis excipiens manibus
Sedulus, & digitis felicibus oſcula pangens,
  Vulnera tum tergens fontis aqua rigui
Rore frui Veneris ſivi patienter Amores.
  Tenuia tum Serum aſpergine fila linens
Sanguinis innocui Paphiæ gratiſſima Divæ
  Illa tuli caſtis munera cum precibus.

DINA RUSTICA.

NOrdvicides Nymphæ, placidiſſima numina ruris,
  Tethys ubi tumidas proxima volvit aquas:
Vicini ſecura maris, ſecura procellæ,
  Spernit ubi vanas terra beata minas,
Quæ centum arboribus ventos eludit iniquos,
  Et ſe muneribus vindicat ipſa ſuis:
Nordvicides Nymphæ, non ſe tulit obvia vobis,
  Facta novo cultu ruſtica, Dina mea.
Si qua procul veſtris erravit ruſtica ſilvis
  Eximio vultu candida, Dina fuit.

Dina

Dina, meum pectus quæ poſſidet unica, Dinam
  Exuit, at feritas, at prior ira manet.
Forma manet, priſcumque decus, nec frontis honore
  Illi aliquam dederit veſtra caterva parem.
Dina meos oculos leviter mutata feſellit.
  Hei mihi ſimplicitas illa luenda venit.
Non potui, crudelis amor, dignoſcere vultus,
  Qui miſero mentem ſurripuere mihi.
Oſcula non potui roſeis diſtincta labellis?
  Et quæ præterea non aliena gerit?
Unde meis oculis tantæ venere tenebræ?
  Deficiunt medio lumina noſtra die.
Anne eadem, mentem mihi quæ pulcherrima Dina
  Abſtulit, hæc oculos abſtulit arte meos?
Abſtulit arte meos oculos pulcherrima Dina.
  Ars dominâ tali tam bona digna fuit.
Nil tamen ars poteras. Artem natura juvabat;
  Cuique nihil ficti viſus ineſſe, decor.
Juraſſem mediis eductam ſemper in agris,
  Et patrios inter delituiſſe greges.
Candida nec facies, quæ marmore purior albo,
  Vel nive, quæ gelido frigore denſa cadit;
Neve manus teneræ, & quicquid non ruris habebat,
  Moverunt animi credula ſenſa mei.
Mirabar potius, quod aprici ruſtica campi
  Non foret ardenti ſole peruſta cutem.
Omnia mirabar tacito defixus amore,
  Tam nihil in tota ruſticitatis erat.
Dina prope exciderat: ſuper hoc neque Dina queretur,
  Huic veniam errori comiter illa dabit.
Haud poteram flammis unquam melioribus uri.
  Non niſi, quæ Dinam vinceret, ipſa fuit.
Nec poterat niſi Dina meæ ſuccedere Dinæ,
  Nec niſi quæ cunctas vinceret una Deas.
Cedite formoſæ; cum ſe ſuperaverit ipſa,
  Ulla precor facies, quâ ſuperetur, erit?

AMICAM DURAM ALLOQUITUR.
T. T.

PUlchra nimis, ſed dura nimis, jam diſce moveri.
Mitior ad lacrumas reſpice, Nympha, meas.
Quis furor eſt ſine fine meos augere dolores?
Nec minimum noſtris ingemuiſſe malis?
Crede tamen, ſi forte potes, duriſſima, nullum,
Crede, triumphato nomen Amante venit.
Quæ formam natura dedit faciemque decoram,
Hæc facili mores addidit apta manu;
Hæc animum mitem. Sed tu minus æqua repugnans
Impia naturæ bella movere paras.
Hoc formæ, miſero quod nil concedis amanti,
Sævior immiti, cum furit unda, mari,
Decedit, formoſa, tuæ. Laudata venuſtas
Orbe minus toto judice nomen habet.
Abde tuos oculos, formoſos occule vultus,
Unde meus primum vulnera duxit amor,
Abde, movere omnes quæ poſſunt omnia mentes,
Nolit adorari ſi tuus ille rigor.
Fulget in aurato pulcherrimus æthere Phœbus,
Et radios toto dividit orbe ſuos;
Tu Sol ſidereas inter vel Luna puellas,
An radios miſero, Nympha, negare potes?
An tenuem lucem? quæ me mihi reddat Amantem?
Quæ flammas animi ſopiat una mei?
Quæ foveat flammas, ſed non ſine lege furentes
Una mei nutrix & medicina mali?
Hoc, tibi quod danti penitus nihil auferat, addat
Quod mihi, cum dederis, omnia, Diva peto.
Sic tenuem lucem fax ætheris aurea Phœbus,
Sic vaſtum modicam poſcitur æquor aquam.

In

In Sereniſſimi DELPHINI, *nunc*

LUDOVICI XIV.

REGIS CHRISTIANISSIMI *Natalem.*

BElgarum populi, quos mutua fœdera nectunt,
Martiaque Hiſpanum dextra peroſa jugum,
Tempora laurigeris circumvelate coronis;
Irradient feſtæ compita læta faces.
Ille ſuæ fulmen patriæ, cui Gallia paret,
Et ſocias junxit Belgica noſtra manus,
Innumeras cujus tellus canit utraque lauros,
Cui toties fuſas imputat hoſtis opes,
Dum genuit, tanti deerat qui nominis hæres,
Implevit numeris improba vota ſuis.
Excipitur Tyrio venerabile pignus in oſtro,
Et primum teneris ora madeſit aquis.
Dii faciant! patrios ſuboles hæc ſurgat in auſus,
Magnanimum belli fulmine vincat Avum:
Hoc Gallus, Ludovice, tuus, hoc Belga precatur,
Et quiſquis faſces horret amatve tuos.

Trajecti ad Rhenum Anno 1638.

ARA BACCHI AD

CORNELIUM BRILIUM.

CYmba levis, facili delabere concita curſu,
En, favet, ac flatus haud negat aura ſuos.
Ipſe tibi Rhenus diſpendia commodat urnæ,
Et breve veloci vortice ſpondet iter.
Ex voto petimus, Bacchi quæ dicitur, aram,
Ille locus ſtatio prima quietis erit.
Jam procul apparent excelſæ mœnia Bingæ,
Caſtraque ſaxoſo ſuſpicienda jugo.
Ut loquor, ut viſæ portu ſucceſſimus urbis,
Cogeris admiſſam ſiſtere nauta ratem.
Parva mora eſt. Qui Borbonio pro Rege tuetur
Mœnia, nos Batavi ſanguinis eſſe ſciat,

Quos ſua libertas nec in his quoque deſerat oris.
  Miles abit. cœcam, navita, ſolve ratem.
Adde manus operi, totiſque adnitere remis.
  Hac iter eſt. Illic naufraga ſaxa vides.
Aſpicis, ut ſpatiis Rhenus luctetur iniquis?
  Ut furat emotis unda refuſa vadis?
Nec bona vicini promittant omina mures?
  In medio notum flumine ſurgit opus:
Si qua fides, illic quam non Deus ultor egenos
  Negligat, experti principis oſſa jacent.
Ilicet ex oculis evanuit impia turris.
  In rapidos abeant omina vana nothos.
Planities jam nulla patet: nos montibus altis
  In medio clauſos utraque ripa tenet.
Semirutæ pendent ſcabris de rupibus arces,
  Paſſaque bellorum tot monumenta vicem.
Nec lapis eſt nudus, viridi ſed germine paſſim
  Turgentes aperit vinea læta ſinus.
Illa levi niſu ſummum petit uſque cacumen.
  Vix oculo poſſis deficiente ſequi.
Tunc, ubi celſus apex mediis ſe nubibus infert,
  Explicat intonſas ardua ſilva comas.
Vix ea miramur, ſimul altas navita turres
  Monſtrat, & Ogygio templa dicata Deo,
Vidimus: attigimus: delubraque ſancta ſubimus,
  Formamus dignas verba per apta preces.
Sancte Pater, faveas; nec enim tua, Bacche, Batavi
  Venimus impura tangere ſacra manu.
Da, puer, infuſo ſpumantia pocula vino.
  Libemus Genio munera prima loci.
Ocyus adde merum, cyathoſque fideliter imple,
  Ora quod, & guttur proluat, adde merum.
Junge manum Brili. Tuus hoc te provocat hauſtu
  Numine Kinſchotius jam propiore calens.
Et cupis, & thyrſo es dudum perculſus eodem:
  Neve, licet cupias, diſſimulare potes.
Margaris hic octo cyathis formoſa bibetur:
  Carior eſt oculis nulla puella tuis.

At

At mea dimidium tanti quæ nominis implet,
Dina bis ad numeros eſt adhibenda ſuos.
Hæc ego Margaridi ſex, & duo pocula pono,
Vivat! & innocuo pectore ſemper amet!
Accipe, Corneli, rata ſi vis vota peracta,
In fundo face ne gutta ſit ulla ſuper.
Victoris titulum, prior hoc qui faxit, habebit,
Et ſua victorem palma parata manet.
O bone, viciſti: nec tu monitoris egebas.
Ocyus huc hederæ fer mihi ſerta, puer:
Præmia victori debentur talia: Brili,
Illa tuas cingent ſerta decora comas.
Perge, ſecuturus calicum neque terreat ordo,
Lætior & rugis fronte carente bibas.
Explevit numerum. Totidem rorantia trade
Pocula. Quid ceſſas, deſidioſe puer?
Salve Dina; tuus, rerum pulcherrima, vates,
Hæc tibi Kinſchotius Bacchia dona litat.
Tu, mea, cum reduci jam vate beata frueris,
Rhenus ubi Batavas lenior intrat aquas,
Tu mihi, tu junctis totidem fer baſia labris,
Pocula quot nobis plena miniſtrat Amor.
Vota ferunt, & Amor, memorem qui vellicat aurem,
Omina præſenti numine fauſta dedit.
Nec feſtinatos nimium miraberis hauſtus,
Dimidium ſitiens ipſe Cupido tulit.
Felices animæ, par nobile formoſarum,
Queis merito ſeſe patria jactat humus,
Credite (namque fidem bene qui meruere merentur)
Nulla modo potuit nobiliore coli.
Huic neque, millenis utcumque ſuperbiat aris,
Altera nobilior contigit Ara Deo.
Haud alibi genuit ſimilem Natura liquorem.
Indulget nuſquam largius illa ſibi.
Hoc puer Iliacus ſua nectare dolia complet,
Porrigat ut ſummo pocula grata Jovi.
Si qua ſacris iſtis addenda eſt victima, noſtræ
Victima libertas unica mentis erit.

Unde ſuas quoniam partes habuere puellæ.
  Noſter eis vino rite litâvit amor.
Nil minus & caris tribuiſſe ſodalibus optes,
  Patria quos, & quos extera ſervat humus,
Sub noſtro degant illi, quocunque vel axe,
  Pectora Riphæâ candidiora nive.
Poſtulat hîc primas tellus Germana. Bibendi
  Præripuit cunctis gentibus illa decus.
Illa ſinu dulces fœcundo procreat uvas,
  Illius exſtructa eſt hæc ſuper Ara ſolo.
Illa vel excepit veteres, vel fecit amicos,
  Dum ſimul has oras viſimus, illa novos.
Illa piæ mundo promittit munera Pacis,
  Et, niſi mens fallit, munera tanta dabit.
Ergo ſimul Paci, Paciſque bibemus amicis
  Nominibus, quotquot Saxonis ora tenet.
Patria ſuccedat, tum qui Tiberimve vel Arnum
  Et Ligerim aut Ararim qui Tameſinque bibunt.
Vivite felices, lectiſſima turba, ſodales!
  Hoc Batava vobis optat uterque fide.
Jam ſatis eſt, Brili, nec enim vel dulcis amicus,
  Vel poterit juſte cara puella queri.
Et tu, parce, Pater, graviori incumbere thyrſo!
  Ohe! jam ſatis eſt! Evoe! parce, Pater!
Duc, puer, ad cymbam, duroque repone cubili
  Jam dudum nimio languida membra mero.
Hic jam victa mihi præcludat lumina ſomnus,
  Dum peragit celeres concita cymba vias.
Interea ſacro repleta fidelia vino
  Sit comes, & comitis cura ſit una tibi,
Ut, cum ſicca ſitim revocaverit hora, jacenti
  Juncta ſtet ad nutus officioſa meos.

SOMNIUM,

Cui biduo poſt eventus reſpondebat, circa natalem meum XXV.

SOmnia felicem ſpondent mihi læta puellam,
Proxima natali ſomnia nata meo.
Illa novum ſuadent ut amoribus ordiar annum
Et dubio credam naufraga vela mari.
Hactenus innocuo licuit luſiſſe calore,
Et mihi nulla meus vulnera fecit amor.
Ille quidem volucres intendit ſæpe ſagittas;
At ſolido ſeptum robore pectus erat.
Irritus hinc alias ſeſe convertit ad artes
Et nova ſollicito bella movere parat.
Ille ſuis noctem ſelegit fraudibus illam,
Ultima luſtrorum quæ mihi quinque fuit.
Si modo erant fraudes: nec enim cæleſtis imago,
Quæ mea perſtrinxit lumina, fraudis eget.
Et prope lux aderat, nullo quo tempore nobis
Certa magis Morphei ſomnia mittit ebur.
Non mihi credulitas veteres imitata Sabinos
Viſa die menti ſomnia nocte refert.
Viſa ſemel tantum, ſolo vix nomine nota,
Obvia ſe nobis blanda puella dedit.
Et mecum notos cupiens intrare penates,
Ipſa prior niveam junxit amica manum.
Turba videbantur formoſæ lecta puellæ
Illuc ad ſolitos rite coiſſe choros.
Illa choros agili mecum pede læta peregit
Parvaque finitis baſia paſſa choris.
Nec male ſubtraxit vultum indignata procacem
Vultibus ingratas oppoſuitve manus;
Sed leviter tantum, nec triſti fronte recedens
Ora habuit labris obvia noſtra ſuis.
Inde fatigato conſedit corpore mecum,
Apta miniſtrabat verba diſertus amor,

Signaque jungebam noſtri manifeſta caloris
  Nec tulit hæc ægre tam manifeſta dari.
Brachia quinetiam ſpatioſâ condita veſte
  Audaci licuit ſollicitare manu.
Illa ſerenatos in me vertebat ocellos;
  Inſolitam ſenſi protinus inde facem,
Quæ mox trajectis penitus graſſata medullis
  Pectus in extincto contigit igne meum.

MARTIS ET VENERIS

Congreſſus.

THracia bellator linquebat regna Gradivus,
  Et juga perpetuis horrida frigoribus,
Aſſiduâ juga cæde tepentia: pax ubi nunquam
  Mitior è Cælo conſpicienda datur.
At litui horrentes ſemper ferale gemiſcunt,
  Et tuba terribiles ingeminat ſonitus,
Puniceum at ſemper bibit enſis & haſta cruorem,
  Heu mala funeſtis commoda vulneribus!
Commòda funeribus, quæ ſemianimo ſingultu
  Lugeat heu partu ter viduata parens!
His procul à terris alias Deus ibat ad oras,
  Quem Furor,& Rabies horrida conſequitur,
Et ſciſſam poſt terga trahens Diſcordia pallam,
  Flagra manu circum ferrea concutiens.
Pone enſem cæde imbutum Bellona rotabat,
  Terribilis viſu, ſanguine tota madens.
At pater, inſignis galea & fulgentibus armis,
  Haſtamque invictis ipſe tenens manibus,
Quadrijugo invehitur per prata rubentia curru,
  Quem trahit armenti gloria Biſtonii,
Inſignes volucri curſu pedibuſque jugales,
  Inſignes ſparſis colla per alta jubis.
At ſublimis equos Pavor aurigatur euntes,
  Lora manu tergo ter quater incutiens.

Jam

Jam juga ſublimis Mavors ſuperaverat Hæmi,
Undiſonumque citus Strymona tranſierat,
Jam faciles ſpirant auræ, jam mitior aer
Undique cum blandis adſtrepit alitibus.
Jam tellus Zephyris melioribus humectata
Fœcundo flores elicit è gremio,
Purpureas violas, immortales Hyacinthos,
Narciſſum ſtultæ ludibrium Veneris.
Ecce autem, preſſæ qua pone jacent convalles,
Lymphaque vicinis proſilit è ſcatebris,
Per ſilices facili paulatim murmure labens,
Ad fundum totis pervia luminibus,
Fons ſacer & cunctis gratiſſima cura Deabus,
Ripa cui denſis cingitur arboribus,
Quæ patulas ramis ſuper impendentibus umbras
Accipit, à Phœbi tuta jacens radiis,
Stant teneræ lauri, Veneris ſtant munera myrti,
Veſtitæ foliis tempora perpetuis,
Illuc æſtivi vitatum lumina ſolis
Cypria cum blandis venerat alitibus,
Quæ tunc ſub tenera myrto reſupina jacebat
Lenia vicinæ murmura propter aquæ
Intenſis defeſſa caloribus. Aurea veſtis
Stringebat niveos ſemiadoperta ſinus,
Quam nunc tollebat Zephyri, nunc aura premebat,
Senſim interſpirans ſuavibus halitibus.
Hanc Deus ut vidit, primum modo ſubſtitit,& mox
Olli de manibus decidit haſta ſuis.
Olli animus bello fervens, olli igneus ardor,
Et mens victa novo vulnere diriguit.
Deſilit, & ſubitis turbatus pectora flammis
Cypridis auratos concidit ante pedes.
Non abſunt lacrumæ, & victæ ſuſpiria mentis,
Quæ ſuus è fibris eliciebat Amor,
Contundens bellique minas, animumque ferocem,
Et caput impoſitis concutiens pedibus.
At Dea, quæ Cypron, quæque Idalium frondoſum,
Quæque Cythera regit, turrigeramque Paphon,

Blan-

Blanda Deo leviter Diis arriſit ocellis,
Demulcens variis pectora deliciis.
Illa Dei lacrumis ſuſpiria mollia junxit,
Illa ſuis animam miſcuit halitibus,
Illa tot illecebras irritamenta doloris
Addidit, & Martis vulnera certa ſui.
Addidit & roſeo pulcherrima leniter ore
Dulcia præ quovis nectare baſiola,
Dulcia baſiola. Haud tam dulcia mella per æſtum
Sedula apis cellis colligit in Siculis.
Illa Dei pectus facili penetrantia ductu
Mavorti totum ſurripuere animum,
Dulci neſcio quo leviter fucata veneno,
Donec paulatim neſcius ipſe ſui,
Magno victus amore, ingenti ſaucius ictu,
Auxilium Domina poſceret à Venere.
At circum pharetrata cohors in margine ludit,
Aſſidui Matris Idaliæ famuli,
Et ſuper afflictum circaque vagantur amantem,
Atque aliquis Divo terribilem galeam
Demſit, & imponens capiti ſe condidit omnem:
Aſt alius cinctum liberat enſe latus,
Telaque pro gladio reddit, quæ pectus amantis
Non evitato vulnere trajiciunt.
Pone ſimul Paphiæ jungunt ſua roſtra jugales,
Mutuaque alterno murmura dant gemitu.
Inque vicem nutant, vibrantque cacumina myrti,
Et lauri mixtis dant ſtrepitum foliis.
Iſtic nunc, Gradive, jaces. Quid tela, quid haſtæ,
Armaque millenis cognita funeribus,
Agminaque horribili toties colliſa duello,
Tot pugnata tuis prælia militibus,
Tot pugnata tibi proſunt? Tua nomina tanta
Jam titulis cedunt omnia fæmineis.
Plus ſuſpiria, plus nutus, oculique loquaces,
Quam quaſſata tuis arma valent manibus.
Sævus & immitis, flecti implacabilis, aſper,
Auctori ſupplex vulneris eſſe tui

Coge-

Cogeris. Ah quali nimium percuſſa furore
  Mens ruit! Ah quanti ſponte cadunt animi!
Ah quales gemitus nec dignas Marte querelas
  E victo Dominus pectore promit Amor!
Diva, tui Martis miſerere. Quid amplius uris?
  Ille tuo paret ferreus arbitrio.
Quem, niſi tu precibus, fortiſſima, flectere tantis,
  Jam piget è Divûm ſanguine progenitum.
Jam fieri mallet mortalis, tædia vitæ
  Ne in pœnas miſeram protraherent animam.
At facili flecti Dea formoſiſſima collo
  Brachia amatoris leniter implicuit,
Et gremio infuſum accipiens jam victa Gradivum
  Vota Dei numeris omnibus abſolüit.

T H Y R S I S

Ecloga

Scripta, cum ſubito in Angliam abiiſſet

NICOLAUS HEINSIUS.

JAm roſeus vitreo ſurgebat ab æquore Titan,
Prima novæ mundo referens exordia lucis,
Cum tugurî ſonuere fores: mox limina tecti
Pauperis, obſcuræ poſt tædia noctis, Jolas
Deſerit, haud largus ſomni puer. ille per agros:
Quos pigra Rhenus circum alluit ultimus unda,
Ivit; & incerto relegens veſtigia paſſu,
Errabat miſer. interea grex immemor agnæ
Paſtoris, ſolitoque procul cuſtode vagantes,
Gramina tondedant liquido ſtillantia rore.
At Puer (heu curis nimium mordacibus æger!)
Carpitur infelix, intabeſcitque per artus.
Nil ſolitum delectat opus: non carmine curas
Solari juvat, aut animum mœrore levare.
Antea quæ fuerat tot amœni; luſibus apta
Fiſtula, Thyrſi, tuos, ſeu Tityre, diceret ignes:

Fi-

Fiſtula, diſcedens dederat quam Tityrus illi,
Muta ſilet. tantum gemitus & flebile murmur
Perciperes, crebis ſingultibus interruptum.
Ut vero vox eſt & linguæ redditus uſus,
Hanc externata fundebat mente querelam:
Quo fugis; ô bone Thyrſi, meæ pars altera vitæ?
Quis deus æterno ſociatas fœdere mentes
Dividit, & vinclum noſtri diſſolvit amoris?
Ah dilecte puer! tibi quæ tam dira cupido
Linquendi natale ſolum? confinia Rheno
Arva, nec ipſe pater potuit te ſiſtere Rhenus?
Ille, tuas lætus toties audire cicutas,
Cum teneram tenero celebrares carmine Liſam;
Ille, tui recolens idem genitoris amores,
Sæpe loci Nymphis genitor quos rettulit Ægon;
Ægon, Pierii non ultima gloria montis,
Sicelidem Muſam qui Rheno judice vincit:
Ac licet è ſacra jam fiſtula pendeat ulmo,
Ulmus & antiquæ meminerunt carmina ſilvæ.
Ah dilecte puer, quo tendis? te pater Ægon
Jam ſenio morboque gravis, (ſed parcite Parcæ)
Te Galatea ſoror, (quam nunc digniſſimus Almon
Poſſidet auſpiciis divûm, Junone ſecunda)
Debuit & nimium præpoſtera vota morari.
En nova deſertus plorat diſpendia Rhenus,
Et fægi veteres, & quercus proxima cœlo.
Præ reliquis magno queritur perculſa dolore,
Liſa; fidemque datam cauſſata, flet. ô bone Thyrſi,
Reſpice; neve ſinas, fletu periiſſe puellam.
Ambit eam precibus, renovans ſua vota, Menalcas,
Et vili ſtipula perdit miſerabile carmen,
Ingratis dominæ feriens tinnitibus aures.
Te quoque contemnit:Quid enim,crriſſima,Thryſis,
Inquit, ad hos calamos?certe neque maximus Ægon,
Nec noſtris conferre ſuos auderet Amyntas.
Tu modo, Nympha, fave. certe ſum dignus amari;
Et merui certe: nec tu, Dea, deſpice vatem.
Aſpicis innumera vernantes arbore ſilvas?

Hos

Hoc nemus omne meum eſt,quaqua patet;& mihi ſervit.
Aſpicis innumeras pratis in mollibus agnas?
Sunt mea prata ; meis veniunt ab ovilibus agnæ.
Omnia ſi ſpectes, ſua conferat omnia Thyrſis:
Omnia cogetur Thyrſis majora fateri
Eſſe ſuis: & adhuc præ me tibi Thyrſis amatur?
Qui procul ipſe fugit, nullumque meretur amorem?
Qui mare, qui ventos, alienaque littora longe
Haud veritus præferre tibi? nec plura locutus
Conticuit, ducens imo ſuſpiria corde.
Durior ô ſcopulis immitibus, ô fere Thyrſi!
Ferree, qui miſeram potuiſti linquere Liſam,
Cogitur inſulſum quæ nunc audire Menalcan!
Ah nimium ſegnis, nimium crudelis amator!
Tityrus hoc docuit, qui divitis arva Garumnæ,
Prataque, quæ riguis humectat Sequana lymphis,
Scaldi, tuis, & Rhene, tuis jam prætulit olim.
Hic quoque ſuſtinuit dilectam linquere Caram
Ferreus, & longè patriis immitior undis.
Hunc quoque nec genitor movit, non optima mater,
Neve ſoror, lachrymis oculos ſuffuſa decentes.
Tityrus exemplum tibi præbuit. ah fere Thyrſi,
Hunc potius ſequeris? deſertæ crimen amatæ
Ferre libet potius, quam fidi nomen amantis?
O quanto melius junctum ſibi ſpectat Alexin
Suavia, divini verſus mirata poëtæ!
O melius quanto Lyden Mnaſylus adorans
Perſtat, & optanti præſentia gaudia donat;
Mnaſylus, ruris decus immortale Sicambri!
Conſtantem melius Licydan formoſa Lycoris
Alloquio lactat, neque ſubtrahit oſcula verbis;
Oſcula, nectareo non permutanda liquore.
Sidereis eadem quoties arridet ocellis,
Et dubiam varia perfundit imagine mentem?
Sic neque materies nova flammæ, flammave deſunt.
Quo tamen iſta? fugit Thyrſis ſpernitque monentem.
Non illum ſtabilis Mnaſyli flexerat ardor:
Nec Licydan ultra, fidum neque curat Alexin,
De-

Deteriora ſequi dum mavult. ah fere Thyrſi,
Tu nunc ad Tameſis ripas, oblite tuorum,
Mænalium Sicula deducis arundine carmen;
Aut ſecurus oves gaudes paviſſe Britannas.
Forſitan &, Tameſis genialia numina, Nymphæ
Paſtori placuiſſe ſtudent: vel ruſtica Phyllis,
Aut conjuncta tuo lateri prope conſidet Ægle:
Juratamque fidem Liſæ rapuere procellæ.
Forſitan & veteres animo fugiſtis amici:
Ipſa ſimul forſan Liſa excidit. ô pia ruris
Numina, rite novo ſemper ſi lacte quotannis
Primitiiſque meo mihi de grege culta fuiſtis,
Hoc prohibete nefas! Thyrſin cohibete furentem.
Quo ruis ah? quo Thyrſi, rapit te devius error?
O Enonen Phrygius ſic quondam liquit adulter;
O Enonen, cum qua toties requieverat ante
Propter aquæ rivum, tectus frondentibus umbris.
Non illum Nymphes lachrymæ, non conſcia facti
Numina terrebant, quorum juraverat aras,
Alterius ſeſe nunquam fore. tu quoque tantis
Æmule criminibus te vis adjungere Thyrſi.
Quid loquor ah demens? quæ ſomnia fingis Iola?
Liſam Thyrſis amat nullo mutabilis ævo.
Ante lupus poſita feritate jugabitur agnis,
Litoris aut Batavi qui præterlabitur oram
Vomere findetur curvi Neptunus aratri,
Quam te, Thyrſi, tuæ capient oblivia Liſæ.
Et neque te, Tameſi quæ ſunt vicina, tenebunt
Arva diu. jam Liſa ſubit viduataque Rheni
Litora vate: oculis genitor grandævus oberrat
Et Galatea ſoror; tum pectora fida ſodales;
Quos inter merito primus referatur Jolas.
Quis ſcit an externæ ſubeant faſtidia terræ,
Vixque ſalutatus Tameſis jam ſordeat ultro?
Forte peregrinus non eſt tolerabilis aër.
Qualiſcunque queat te cogere cauſſa redire,
Sit cito quod redeas, & tot prævertere vota.
Talia ſollicitus fruſtra jactabat Jolas:

Et

Et modo triſtitiam ſpe ſolabatur inani,
Et modo triſtitia ſpem corrumpebat inanem.
Thyrſis abeſt. Abſunt cum Thyrſide gaudia cuncta.
Vota nec abſentis contingunt Thyrſidis aures.
Irrita ſed rapidis volitant ludibria ventis.

JOLAS, ECLOGA
AD
HADRIANUM VANDER WALL.

Formoſi colles, ſedes dilecta Deabus
Naïaſin, quos ſacra Jovi Dodonia quercus
Plurimaque ardenti defendit ab æthere fagus,
Et circum riguis humectat leniter undis
Grata levi ſilices perlabens unda ſuſurro,
Vos ego, curarum ſatur inſanique tumultus,
Vos peto, rixantem linquens inglorius Hagam.
Quam mihi ſub nemoris reptare umbracula veſtri
Atque ægras animo gratum eſt depellere curas!
Hic mihi ſollicitæ veniunt oblivia vitæ.
Hic Venus innocuos accenſi pectoris ignes
Ventilat, & ſacro mentem transſcribit amori.
Tu modo Daphnea præcinctus tempora fronde,
Ipſe tibi Claria quam legit ab arbore Phœbus,
Non favor aut vani tribuit dementia vulgi,
Valliade, ô meritis nulli ceſſure priorum,
Huc ades, & viridi mecum conſide ſub umbra,
Dum tibi, Muſa ſuum mea quo teſtetur amorem,
Parva Syracoſio deducit munera verſu.
Quos igitur gemitus olim, quæ triſtia verba
Ardens in formoſa Amaryllide paſtor Jolas
Infelix puer heu! ſurdis objecerit Euris,
Audi, & ſollicito rumpentes pectore queſtus.
Poſt virgulta latens ego ſurgenteſque myricas
Excepi gemitus, effuſaque triſtia verba.
Æſtus erat, mediuſque dies, cum venit Jolas
Dilecti nemoris quæſitum frigora & umbras.

Illic ſub patulæ reſupinus tegmine fagi
Frondoſæ quercus & quo ſub tegmine Nymphæ
Conſuetæ choreas feſtis agitare diebus,
Saucius has voces imo de corde profudit.
O Amarylli, tuum ſi perdere ſedit Jolam,
Nec reſtet miſero ſpes ulſa favoris amanti,
Eripe ſpem, formoſa, cito me confice letho,
Tot, precor, haud ultra lacrimas impendat inanes,
Neu ſuper ancipitem teneat ſententia fati.
Vulnere perpetuo tibi dum devinctus adhæret.
Vulnere non alio fidus moriturus Jolas.
Si tamen immiti non te mare protulit unda,
Nec ſilicis duræ tua mens induruit inſtar,
Si qua faves, Amarylli, tui da ſigna favoris,
Tolle metum, formoſa, tui da ſigna favoris.
Quem niſi vana ſui fiducia fallit Jolam
(Nympha, dabis veniam) poterit meruiſſe putari,
Tertia meſſis adeſt, quando te lux mea primum
Vidi, atque inſolitam concepi pectore flammam:
Vix mea bis ſeptem meſſes tunc viderat ætas.
Tempore jam ex illo formoſam Amaryllida ſilvæ
Formoſam Batavi reſonant Amaryllida ponti
Litora, cum ſonitu qua murmura fracta repulſant.
Sæpe Pater Nereus noſtros audivit amores,
Et circumfuſæ Nereïdes, & vaga Tethys,
Tum ſenior Triton, Phorcique exercitus omnis,
Et jam cuncta maris mihi ſe debere fatentur
Numina, quod noſtro norint Amaryllida cantu.
Nec te quæ patrii percurrunt flumina Rheni
Naides ignorant, nec quæ confinia Rheno
Culta tenent circum laſcivæ rura Napeæ,
Quæque tenent ſilvam, pulchræ quæ deſuper Hagæ
Incubat, & præbet gratas ſpatiantibus umbras.
Te modo, quæ dudum cunctis notiſſima Divis
Munere facta meo es, ſine noverit unus Jolas.
At ſecura mei tu vel ſub frondibus altis
Cernis oves circum tondere virentia prata
Ceſpite vel viridi mollem reſupina quietem

Accipis, & roſeo ſpiras è pectore ſomnum,
Dum furor intenſi paulum deferbeat æſtus,
Et lapſura dies vocet ad mulctralia vaccas.
Interea infelix, orbuſque Amaryllide cara
Queſtibus & lacrimis ſeſe conſumit Jolas,
Immemor ipſe ſui, gregis immemor, immemor artis,
Quam cuſtos ovium vitrei prope flumina Rheni
Ipſe Deus docuit, non vani pignus amoris.
Huc ades, O Amarylli, & triſtem reſpice Jolam;
Si neque deſertis terra illum barbara ſilvis
Ignotum, formoſa, tibi produxit amantem;
Si neque lanigeræ pecudis nec ruris egenus
Nympha tuas affectat opes, nec vultibus illis
Offerat inviſæ turpis ludibria formæ,
Si neque eum ſtolidæ præceps inſania mentis,
Aut deplorati teneat vecordia Mævi.
Sed me fecundis exculta Batavia campis
Rure dedit patrio. Novit Pater omnia Daphnis,
Pulchra Amarylli, tuus, cujus confinia quondam
Proximus à noſtris diſtinxit jugera limes.
O mihi ſi tantum faviſſent Numina ruris,
Et ſua ſervaſſet fixo lare limina Daphnis!
Illa mihi ſtabiles vicinia forſan amores,
Illa tuum firmo junxiſſet fœdere pectus.
Parvus amor tenuem finxiſſet pectore flammam,
Paulatimque ſuos foviſſet in oſſibus ignes.
Nos animæ dulces, & fraudis neſcia turba,
Nec nimium ſævi vires experta caloris,
Nec quid amor valeat longis edocta periclis,
Sæpe greges inter, frondenti ſæpe ſub umbra
Prima ſimul teneræ egiſſemus tempora vitæ,
Et mea jam tanti dudum ſecura laboris
Tempore creſcentem mens poſſediſſet amorem.
Sed nec opum maleſanus amor, nec turpis egeſtas
Impulit immeritum nequicquam ambire favorem.
Rhene pater, dices, qui tot mea lenibus undis
Arva lavas, dicet tantarum rector aquarum
Scaldis in immenſi qua labitur æquora Nerei.

Nec tamen his, Amarylli, tuus ſe jactat Jolas.
Ille ſibi multo molitur carmine nomen,
Moliturque tibi. Nec enim ſine nomine veſtro
Aut decus aut nomen miſero continget Jolæ.
Ipſe probat noſtros paſtorum gloria luſus,
Ille Syracoſiis antiſtans laudibus Ægon.
Ipſe probat Thyrſis, patrios cui Phœbus honores
Præparat, & ſtimulis animum præſentibus urget.
Nec decus eloquii faſtidit noſtra Palæmon
Munera, nec ſurgens Delphorum gloria Mæris.
At te poſteritas ingratam, Amarylli, vocabit,
Si mihi diſparibus toties cantata cicutis
Dura manes. Quanto melius non dicta fuiſſes,
Et damnata fores longis, Amarylli, tenebris!
Cum decore æqualis ſuperis formaque legeris,
Audiet immiti cinctam præcordia ſaxo
Lector, & irata ſævum magis aſpide pectus.
Sin te cura ſuperventuri tangit honoris,
Mitior & fido ſuccurrere diſcis amanti,
Non Arethuſa tuis unquam ſe laudibus æquet,
Non forti Licydæ nimium dilecta Lycoris,
Non levis Alcippe, non Theſtylis Alpheſibæi,
Non Tameſis longe veniens à finibus Ægle.
Ipſæ etiam invidia mediis tangentur in undis
Naïdes. O longis tandem mollita querelis
Incipe, pulchra, tuam melius cognoſcere ſortem.
Talia cum gemitu miſerum cogebat Jolan
Dicere ſævus amor. Quis enim non cedat amori?
Et nos tangit amor. Nec tu ſine numine tanto
Audes Romanis Batavas opponere lauros,
Valliade noſter, vatum decus, auſpice cujus
Nomine non cæcis intorta ambagibus alter
Poſt Grotium Delphis oracula reddet Apollo.
Sic faveant, quicunque tibi dominantur amores!
Sic faveat mea Dina mihi! tua numina Divas
Junge meis precibus, ſi quid potes, adjice vota,
Ut tandem miſeri lacrimis Amaryllis Jolæ
Victa, libens fido tandem ſe dedat amanti.

Finis Libri ſecundi.

CASPARIS KINSCHOTII POEMATUM LIBER III.

PUGNA ROCROJANA.

Quem bellicoſis nota laboribus,
Fulmen Gradivi cedere neſcii,
Quod impetu vaſto ruenti
Incubuit toties Ibero,
Æterna bigis fama volucribus
Ultra remotum vexerat aëra,
Signata quà nuſquam priorum
Orbita conſpicitur rotarum,
(Heu fixa fati dura neceſſitas!)
Invicta gentis gloria Martiæ
Bellator ingens Ludovicus
Occiderat, medio relinquens
Victoriarum tramite limitem;
Cui viſa tandem juris Iberici
Præmiſerant jam fata magnum
Richelium, cui debet orbis,
Quod juſta tantæ fræna potentiæ
Injecta dudum ſenſit Iberia;
Totumque mens complexa mundum
Dedidicit male contineri.
Jam priſca virtus Heſperiæ trucis,
Nuper profundis merſa ſoporibus,
Preſſam extulit frontem, faventes
Auſa Deos ſibi polliceri:
Jam ſe jacentem juſtitio gravi,
Et deſtitutam ſidere duplici,
Fœdoque ſparſam pulvere, inſtar
Æquoris indomiti furentis,

 Fixo

Fixo teneri limite Galliam,
Unoque tandem proterere impetu,
Se poſſe, ſpe audens inani,
Credidit alitibus ſiniſtris.
Diſce orbis: Omnis non perit, invida
Quem traxit uncis Parca rapacibus,
Poſt fata regnat Ludovici
Umbra, ſuo cineri ſuperſtes.
Illa, Illa juſtis tacta doloribus,
Sedem beati deſerit ætheris,
Cælumque, juſtique arma cæli
Contrahit in tumidos Iberos.
Hæc ipſa Regi, qui (velut aureus
Surgens tepenti Phœbus ab æquore)
Per regna non victi parentis
Lumine purpureo coruſcat,
Infigit altum in pectore ſpiritum,
Suique vivam infundit imaginem,
Lauroſque tot, prudens futuri,
Objicit, & patrios triumphos.
Diſce orbis: Annos ante venit ſuos,
Nec tanta longas mens patitur moras;
Pugnas in ipſis, magne, cunis,
Imperii potioris hæres,
Jam digna tanto gloria nomine.
Talis furentes Herculeus labor
Eliſit angues, inque cunis
Emicuit Jove digna proles.
Te præliantem pectore patrio,
Forti prementem milite Cantabros,
Vidit, vagarum rex aquarum,
Moſa pater, facilique fluctus
Submiſit undâ. Ter patulum nemus
Optata motis murmura frondibus
Dediſſe fertur. Ter repulſi
Ominibus ſonuere montes.
Parvæ Rocroſci miles Ibericus
Totis premebat mœnia viribus,

Jam

Jam valla nutabant globorum
Aſſiduo labefacta jactu;
Paucis remoto hoc ictibus objice
Ardebat infeſto agmine Galliam
Vaſtare. Fatum Ludovici
Obſtitit, Auſtriacæque matris;
Quæ Martialem ſanguine regio
Sortita mentem, dulcis originis
Oblita naraliſque terræ,
Juncta ſuis propiore vinclo,
Regnoque dotali, expediit grave
Pectus ſagaci conſilio potens
Secura, nec motæ tumultum
Cantabricum metuens procellæ.
Dux Angienus Borbonidum decus,
Dignuſque tanti ſtemmate ſanguinis,
Audaciâ primæ juventæ
Fervidus, & ſitiens honorum,
Famæque currum aſcendere, & æthera
Aduſque celſis ire jugalibus
Molitus, armatas cohortes
Ducit agens, equitumque turmas.
Non mutat alti robora ſpiritus
Libata nondum gloria Mellii:
Non Fama Fontani tot annos
Nota domum per utramque ſolis.
Vix ille noctis jam patitur moras
(Nox cuncta nigro tegmine ſparſerat)
Anguſta quamvis concitatis
Currat iter breve lapſa bigis.
Vix prima pulſis emicuit dies
Paulum tenebris. Vix roſeum pedem
Aurora, Tithonum relinquens,
Extulerat croceo cubili,
Cum tota ſi non ſufficeret dies
Tot jam videndis unica ſtragibus,
Hoſtem petendi jam paratum
Borbonius dare ſigna juſſit.

Ipſe ante, lætum cornipedem premens,
Sublimis omnes circuit ordines,
Illi decorâ fronte criſtis
Nutat apex redimitus albis:
Non verba deſunt magnanimo duci:
Orationis blanda neceſſitas
Sponte incitatos ducit ultra,
Et timidis animum reponit.
Ut prima juſſum dat ſonitum tuba,
Laxat furores machina bellicos,
Utrimque circum ruptus aër,
Et volucres cecidere cælo.
Poſt quam ira tanti fulminis & furor
Adverſam ituris expediit viam,
Utrimque præludunt in hoſtem
Ære acies rutilo coruſcæ,
Stat trux Iberus, preſſa ſemel loca
Veſtigiorum immobilis obſidens;
Stat gloriam ſpirans avorum
Italus, & Latios triumphos.
Cædem minatur fixa tenens gravem
Germanus acer lumina. Stat ferox
Burgundus incultæque vaſti
Prodiga gens animæ Walones.
Aſt, excitato fervida ſanguine,
Contra irruentem Gallia fert pedem,
Tot laureis ornata nuper,
Tot ſpoliis onerata Mauri.
Quam Scotus audax, nec metuens mor
Helvetiorum bellica natio,
Ipſique formidanda Marti,
Quam celeres volucri Croatæ
Curſu ſequuntur, gens populatibus
Raptuque vivens; undique & undique
Urgent reſiſtentes Iberos,
Atque alacres animi laceſſunt.
Quis me labantem & viribus imparem,
Dum tanta verſu dicere molior,

Su-

Suſtentet! O, quæ propter undas
Pegaſeas, monumenta magnorum
Effingis Heroum, Polyhymnia,
Succurre vati Diva, potes, tuo,
Nec deſtitutum te morari
Ancipiti patiare clivo.
Cerno volantem robore maſculo,
Et denſa irrumpentem agmina Mellium,
Unoque caſu mille ſecum
Degeneres animas trahentem.
Pone Angianus reſtituit ſuos,
Et diſſipatos colligit ordines;
Accendit exemplum minores
Grande ducis, reficitque vires.
Ecce à ſiniſtrâ parte ſuos agens
Denſos in hoſtes it Seneterius,
Qui pervagato pectus enſe
Saucius horribilique telo,
Quintoque jam tum vulnere languidus,
Et perforato quadrupede excidens,
Captivus à plaudente Mauro
Cantabrico trahitur triumpho.
Et jam lababat mota acies Ducis
Concuſſa caſu, ni validâ manu
Maturus adſis, Hoſpitali,
Magne levis domitor Lothari
Antiqua virtus, auxilio tuo
Novata, pulſis militibus redit;
Sic patriæ quondam labanti
Reſtituit Proavus † Salutem:
Tu fulminantes pondera machinas
Telis tremendorum æqua tonitruum
Tuis ademtas demis hoſti
Rurſus, & impavidus repellis
Circum furentes undique copias.
Sed fata, tantis invida laudibus,

F 5 Con-

† *Michael Hoſpitalius Galliæ Cancellarius.*

Connixa cedentes in hoſtes
Brachia comminuere telo.
Tum vi cruenti vulneris impotens
Ductore tanto prælia deſerit
Orbata. Cedit turba victrix,
Victa cohors animum reſumit.
Tum Martialis turba Syrotii
Victricem Iberi contudit impetum.
Victoria anceps hinc & inde
Lance velut dubiâ pependit:
Dum parte dextrâ, fulminis obvia
Sternentis inſtar, ferro aperit viam
Armata virtus Gaſſionis,
Quem volucri ſequitur quadrigâ
Lætus amatæ litora Thraciæ
Linquens Gradivus, quem gladium rotans
Bellona, quem victis Iberis
Pone pavor comitatur inſtans.
Paſſim videres undique, qua ruit,
Cæſorum acervos innumerabiles.
Quot matribus ploranda paſſim
Funera barbaricis, ad undas,
Latura cladis nuntia maximæ
Invicta miſit dextra Acheruſias.
Te, magne bellator, ſuperbis
Fama vehet ſuper aſtra bigis!
Sed non inultos ſanguinis abſtulit
Cædes Iberos. Terribilem integræ
Senſere Fontanum phalanges;
Ille gravi labefactus ævo
Ter quinque luſtris hauſerat ætheris
Vitale lumen, mille laboribus
Fractus. Laborantem pedeſque
Deſtituunt, validæque vires.
Quas ille ſtrages ediderit tamen,
Tantam ipſa dicet Gallia gloriam
Confeſſa, non Hiſpana pubes
Diſſimulet minus æqua Belgis:

Tan-

Tandem tot ictus vulneribus cadit,
Quot vixit annis. Ulterius novam
Non repperit jam plaga ſedem:
Nec potuit niſi præliantum
Inter furores nobilius mori.
Felix! triumphis ô neque Celticis,
Nec turpiter cæſæ, aut fugatæ,
Dedecori Heſperiæ ſuperſtes.
Ecce inſtat ultor mox Iſeburgius
Sublimis, acer, quem ſonipes vehit
Hoſtes in infeſtos ferocem,
Et veteres referentem honores.
Quæ nil paventis munia militis
Aut fortioris non obit hic ducis?
Sed fractus immenſis, & impar
Prælia vulneribus relinquit.
Fruſtra fugatas undique & undique
Turmas laborat ſiſtere Mellius.
Nec pectus infractum retentat
Degeneris pudor Albuquerqui.
Heu Longovalli robore maſcule
Succeſſor indigne! Heu proavis nepos
Pudende, queis tot parta donant
Sole ſub occiduo tropæa,
Aut unda primum quà retegit diem
Illuſtre regnis Cantabricis decus.
Heu triſtibus quot Celtiberæ
Ominibus caput inſequentur
Matres nefandum, quod miſerabili
Tam dira genti funera contulit!
Heu quanta fronti Rex nerenti
Conferet Heſperius tropæa!
Jam deſtitutus viribus auxilii,
Et deſtitutus perfidiâ Ducis
Soluſque victori relictus,
Borbonii capitur triumphi
Futura qualis gloria Mellius.
Quanti triumphi pars caput unicum!

Ni-

Ni prælio nondum peracto
Fata Ducem ſua liberaſſent.
Dii! vivat annorum innumerabili
Curſu ſuperſtes Ductor Ibericus,
Ut laureæ ſemper recentes
Borbonio capiti parentur!
At non iiſdem tacta pavoribus
Cohors pedeſtris prælia deſerit
Sed nixa ſeſe infert feroci,
Certa mori nec inulta, greſſu.
Hoc pertinaci, cedere neſcia
Debet furori, tot valida agmina
Quod victimarum more paſſim
Inferiis Acherontis atri
Sint immolata, & immiſerabili
Oppreſſa letho, dum muliebribus
Victoris iram deprecari
Mens prohibet generoſa votis.
Sic obſtinatus concidit Italus
Præferre vitæ fata precariæ.
Sic concidit Germana pubes,
Agmina ſic gladio Walonum
Deleta nullo tota ſuperſtite
(Ut falx putandis meſſibus incidit)
Soli reſiſtunt, rupis inſtar
Indomitis animis Iberi:
Utcumque fractis viribus impares,
Utcumque fortunæ alite proſpero,
Ferocientes hinc & illinc
Irruerent equitum catervæ.
Senis adorta aſſultibus undique
Clauſam phalangem Borbonii irruens
Exercitus vis tota, ſenis
(Credite poſteritas) repulſa eſt.
At, diſſipati roboris ultimas
Impune vires ſiſtere, Gaſſion,
Victoriæ curſum faventis
Impatiens fremuit morarum;

Totaſque vires impulit in latus,
Rupitque denſos protinus ordines,
Unâque clade Celtiberos,
Et patriæ abſolvit triumphos;
Proh! Quanta virtus iſta tepentibus
Addit ſuorum funera manibus!
Quot ungulis calcata paſſim
Corpora quadrupedum teruntur!
Helvetiorum quot manibus cadunt!
Ultis ſuorum fata furentibus,
Quos prima telis vis tonantum
Abſtulerat fera machinarum!
Sic tota, felix Arragonum diu,
Vis icta tanto fulmine concidit,
Rurſumque mundo vaſtus ardor
Dedidicit male contineri.
Sic imminentis læta periculi
Secura, tollit Gallia verticem.
Sic morte fixum Ludovici
Jam levius patitur dolorem.
Sic, cum excitato ſedibus æquori
Septentrionis incubuit cohors
Veſana, commotoſque fluctus
Unda ferens minitatur aſtris,
Tum, ſi imperantem cærulus exerat
Pater tridentem, diffugit ocyus
Inſana tempeſtas, & antrum
Æoliæ repetunt procellæ:
Optata lætis otia navitis
Reddunt quietis æquora fluctibus
Pacata, inoffenſoque pinus
Pervolitant vada ſalſa curſu.
At quos triumphos, quas tibi laureas
Victrix parabit, te duce, Gallia?
O laudibus prælustre gentis
Borboniæ decus Angiane?
Audire lætas jam videor tubas,
Feſtoque lucentem igne Lutetiam,

Ni prælio nondum peracto
Fata Ducem ſua liberaſſent.
Dii! vivat annorum innumerabili
Curſu ſuperſtes Ductor Ibericus,
Ut laureæ ſemper recentes
Borbonio capiti parentur!
At non iiſdem tacta pavoribus
Cohors pedeſtris prælia deſerit
Sed nixa ſeſe infert feroci,
Certa mori nec inulta, greſſu.
Hoc pertinaci, cedere neſcia
Debet furori, tot valida agmina
Quod victimarum more paſſim
Inferiis Acherontis atri
Sint immolata, & immiſerabili
Oppreſſa letho, dum muliebribus
Victoris iram deprecari
Mens prohibet generoſa votis.
Sic obſtinatus concidit Italus
Præferre vitæ fata precariæ.
Sic concidit Germana pubes,
Agmina ſic gladio Walonum
Deleta nullo tota ſuperſtite
(Ut falx putandis meſſibus incidit)
Soli reſiſtunt, rupis inſtar
Indomitis animis Iberi:
Utcumque fractis viribus impares,
Utcumque fortunæ alite proſpero,
Ferocientes hinc & illinc
Irruerent equitum catervæ.
Senis adorta aſſultibus undique
Clauſam phalangem Borbonii irruens
Exercitus vis tota, ſenis
(Credite poſteritas) repulſa eſt.
At, diſſipati roboris ultimas
Impune vires ſiſtere, Gaſſion,
Victoriæ curſum faventis
Impatiens fremuit morarum;

To-

Totaſque vires impulit in latus,
Rupitque denſos protinus ordines,
Unâque clade Celtiberos,
Et patriæ abſolvit triumphos;
Proh! Quanta virtus iſta tepentibus
Addit ſuorum funera manibus!
Quot ungulis calcata paſſim
Corpora quadrupedum teruntur!
Helvetiorum quot manibus cadunt!
Ultis ſuorum fata furentibus,
Quos prima telis vis tonantum
Abſtulerat fera machinarum!
Sic tota, felix Arragonum diu,
Vis icta tanto fulmine concidit,
Rurſumque mundo vaſtus ardor
Dedidicit male contineri.
Sic imminentis læta periculi
Secura, tollit Gallia verticem.
Sic morte fixum Ludovici
Jam levius patitur dolorem.
Sic, cum excitato ſedibus æquori
Septentrionis incubuit cohors
Veſana, commotoſque fluctus
Unda ferens minitatur aſtris,
Tum, ſi imperantem cærulus exerat
Pater tridentem, diffugit ocyus
Inſana tempeſtas, & antrum
Æoliæ repetunt procellæ:
Optata lætis otia navitis
Reddunt quietis æquora fluctibus
Pacata, inoffenſoque pinus
Pervolitant vada ſalſa curſu.
At quos triumphos, quas tibi laureas
Victrix parabit, te duce, Gallia?
O laudibus præluſtre gentis
Borboniæ decus Angiane?
Audire lætas jam videor tubas,
Feſtoque lucentem igne Lutetiam,

Et plebis effuſam videre
Lætitiam & videor Senatus.
Rex ipſe victorem obvius excipit,
Et mille collum amplexibus implicat.
Et principes inter renidens,
Mater ovans, procerumque plauſus;
Regina, ſidus nobile, Regiam
Ad feſta dextram porrigit oſcula.
O patriæ ingens liberator!
Arragonis metuentis horror!
Quem prima fauſtis nota laboribus
Summis juventa heroibus inſerit!
Te laureæ ſemper recentes
Heſperiæ ſpoliis ſequantur!
Te proniori ſidere patriæ
Dudum reſervent fata ſuperſtitem!
Soliſque, quotquot vivis, annos
Auſtriacis numeres triumphis!

IN
CLASSEM HISPANICAM
prope Braſiliæ litora profligatam.

HEſperiæ columen, totum quæ terruit orbem,
Quam ſoli Batavi non timuere tamen,
Debilis infracto diffugit robore claſſis,
Et qualis ſupereſt nunc quoque ſparſa jacet.
Picta per indomitum jactantur numina pontum,
Ridet & Hiſpanos mobilis aura Deos.
Haud aliter tumidum vidiſti, Græcia, Regem
Tradere degeneri turpia terga fugæ:
Cum conjurato repleſſet milite campos
In libertatem, terra Pelaſga, tuam,
Qui ratibus totum frænaverat Helleſpontum,
Injiciens tumido ferrea vincla mari,
Viribus eliſis, cymbaque inglorius unâ
Diſtulit inſtantis vix bene jura necis.

Talis

Talis in Herculeo flagrabat Iberia ponto,
Totaque tam magnæ conſcia cladis erat.
Talis erat, domitor cum maximus ille profundi
Abſtulit auratæ nobile vellus ovis.
Attonitus talem de turri nuper Iberum
Gallus & ad patrias Anglia vidit aquas.
Sic tandem Batavum non diſcit Iberia vinci,
Ut procul externis bella gerantur aquis.

IN
CYGNUM NAVEM BATAVAM

bis ab Hiſpanis maximis viribus impugnatam & vix tandem cum magno eorum damno expugnatam.

QUalis ad undiſonum, ſi vera eſt fama, Cayſtrum
Ultima deficiens carmina cantat olor,
Jam moriturus olor, cum fata inſtantia cernit,
Feralemque ſibi ſentit adeſſe diem.
Talis cærulei ſpumans in gurgite ponti
Ante tuum fatum, Cygne Batave, canis.
Horrida Neptunum vox terruit. Ipſe Palæmon
Ipſa Thetis fugit, Nereideſque Deæ.
Ante omnes diffugit Iber, qui vanus, & excors
Ibat in exitium, Cygne Batave, tuum.
Biſſenis Batavum ratibus invaſit olorem,
Bis conjuratas reppulit ille rates.
Sic cecinit, quali contorta tonitrua motu
Terrorem pavidis gentibus incutiunt.
Sic cecinit; magno cantus tibi conſtitit ille,
Maure, nec ad fatum degener ivit olor.
Ille quidem fractis occumbit in æquore pennis;
Hunc tamen, hunc decies, triſtis Ibere, luis.
Quid tibi cum Batavis? Nulla hic tibi laurea creſcit,
Et fors ſi qua venit plus nocet illa tibi.

Leydæ M.DC.XL.

IN
GALLIAM
abiturus amicis Valere dicit.

JAm lætum caput implicans corymbis
Toſtum ſideris impotentis æſtu
Autumnus pater äerem reſolvit.
Agros deſere, Kinſchoti, Batavos,
Tempe conſcia luſuum tuorum,
Tempe deſere non minora Pithiis
(Jactet Græcia quamlibet) viretis.
Non jam nobilium parens virorum,
Non jam mille parens amænitatum,
Non ultra tot amæna Gratiarum
Sedes patria te moretur Haga,
Non Rhenus pater, amnium minorum
Qua terram riguis maritat undis
Et Leydam pede pulſat imminenti.
Te fluctu tumidus ſuperbiore.
Poſcit Sequana, Borbon Ique regnum
Regis nobile, Te latus benigni
Totum munere conſitus Lyæi
Ad ripas Ligeris vocat beatas.
Te laudabilis officina morum
Majorumque parens ſcientiarum
Expers ruris & inficetiarum,
Nec tam pulvere tacta pædagogo
Poſcit Gallia cum ſuis triumphis,
Quos egit domitos agens Iberos.
Illic terribilis tropæa pægnæ,
Quam Rocroïa vidit horruitque,
Et victum gravibus videbis ingens
Vinclis implicitum caput Moſellam.
Illic Borbonios duces videbis,
Et Regem Herculeæ parem juventæ,
Et notam ſapientia parentem,

Et

Et lauru viridem nova Anghianum.
O blandi Comites, amica turba,
Phœbus quos amat & novem ſorores,
O quantum eſt hominum elegantiorum,
Dumlinquo patrias, valete, terras,
Seu vos Leida parens, beata Leida,
Sedes inclyta ter trium Dearum;
Seu vos priſca novo tumens lyceo,
Vera Pallade nobilis, ſuperba
Trajectum teneat, ſoli Batavi
Tempe proxima; ſeu voluptuoſa
Jucundo in gremio moretur Haga;
Seu Scaldes videat paterve Nereus
Dulce in litore patrio canentes.

Hagæ-Comitum die XVI *Kal. Octob.*
M. DC. XLIII.

IN
Statuam equeſtrem Pariſienſem
HENRICI QUARTI.

Gloria bellorum, ſanctarum gloria legum
Et deſperatis gentibus orta ſalus,
Qui titulis famam meritis exhauſerat orbem
Subdiderat faſces ſors cui victa ſuos,
Æterno poſt fata ſuis ut in ære perennis
Viveret armato conſpiciendus equo,
Materiem divina artemque exhauſit imago,
Talis ut Errico par foret illa ſuo.

DE
EADEM AD SEQUANAM.

Sequana qui vaſtam Celtarum dividis urbem,
Borboniæ princeps Sequana dives aquæ,

Borboniis aſſueſce Pater te ſubdere ſceptris,
Nec tumidos fluctus ante rebellis agas.
Cerne, tuus domitor quanta tibi fronte minetur!
Quadrupedis quanto pondere terga premat!
Qualis in attoniti ſuperis plaudentibus intrans
Mœnia frænatas compede vinxit aquas.

Lutetiæ Kal. Feb. 1645.

IN
URBEM BLÆSENSEM.

DElicíæ Regum, quoties inſana peroſos
Tædia curarum ſolvit amica quies.
Cum ſua pacatam ſibi reddunt otia mentem,
Et ſceptri a nimia mole quieſcit apex.
Sic Ligerim, rigua qua præterlabitur unda,
Deſpicit e geminis ardua Blæſa jugis.
Cui Bacchus circum tumidis caput implicat uvis,
Et Cereris plenas terra miniſtrat opes.
At denſæ arboribus præbent umbracula ſilvæ,
Et Zephyrus grato germine veſtit humum.
At rigui paſſim fontes, at purior aer,
At perfecta ſuis patria lingua modis.
Cum ſis judicio Regum celebrata tuorum,
Blæſa tibi laudes quærere velle nefas.

RUPELLA.

QUi modo nudatam foſſis & mœnibus urbem
Aſpicis, & tantum rudera ſola mei,
Fortunæ monumenta ſtupe. Nocuere favores
Illius, hinc nobis illa ruina venit.
Diſce meo exemplo fatis reverentius uti,
Quam ſparſam rides pulvere, magna fui,
Et fortis ſecura meæ, ſolam undique contra
Gallia cum fortes traxit in arma manus.

Illa

Illa ſuas in me vires conſumſit opeſque,
Ceſſimus, at victo ceſſimus ante mari.

IN
BURDIGALAM.

GEntis Aquitanæ celeberrima gloria, cujus
Nomine vix aliud Gallia majus habet.
Burdigale formoſa, vale. Te cærulæTethys
Æqua tibi proprio numine ſemper amet.
Nec tibi vecturas longinqua per æquora merces
Ferre neget rapidus rite Garumna rates.
Et faveant Muſæ, faveat dea juris & æqui,
Illa ſuum ſemper juſta tribunal amet.
Nec tua detrectent Batavi commercia noſtri,
Utraque gens ſocias jungat amica manus.
Sic iterum memoris pulcherrima Diva per ævum
Poſt Batavi civis ultima vota vale.

IN CUBICULUM NATALE
JOSEPHI SCALIGERI.

JUliades, Verona, tuus, qui ſanguine avorum
Altior, æternæ ſublimia nomina gentis
Plus ſibi quam titulis docuit debere ſuorum,
Tempora cui primi debent ab origine mundi,
Totaque Majeſtas Latii cinereſque ſepulti
Antiquæ Heſperiæ & Romæ florentis honores,
Æternuſque labor Muſarum, hoc vindice tandem
Auſa efferre caput; ceſſit cui Julius uni
Prole minor tantum (Nec enim niſi ſanguine vinci
Ille ſuo potuit) cum cerneret æthera primum
Juliades, hac ſerpſit humo. Natalibus illa
Conſcia tam magni ſibi ſideris. Illa parentis
Prima ſinu roſeo formoſum exſurgere Phœbum

(Qualis ab æquoreo gremio venit Amphitrites
Altera lux mundi) vidit, ſubitoque tremore
Horruit. Inſolitæ radiabant undique flammæ.
Parva, ſed irriguis ſedes gratiſſima campis,
Pulchro grata ſitu, magnus quam rector aquarum
Fœcundo rapidus prælabitur amne Garumna;
Cœlo grata magis; tibi nos debere fatemur
Votorum cumulum. Jam ſors mihi ſufficit illa.
Fas luſtrata mihi gemini commercia mundi
Jam Batavis narrare meis, ubi lucida quondam
Condidit Oceano tuus, heu! ſua lumina Titan.

IN CRANIUM
JUL. CÆS. SCALIGERI.

ADſta viator: Cæſaris vide caput,
Metam ſciendi & ingenî compendium,
Capaxque mundi, vita dum quondam fuit;
Nunc triſte ſpolium vix ademptum vermibus
Deforme putrium oſſium coagulum.
At illa, cujus portio præſtantior
His mancipata vinculis quondam fuit,
Illuſtris anima, primam originem ſui
Emancipata, juris & tandem ſui,
Quam mente tenuit, tota nunc totam tenet.

MONSPELIUM.

JUncta Venus Phœbo (litem ſors æqua diremit,
Et reſtant odii ſemina nulla ſuper)
Monſpelios habitant præſenti Numine colles.
A ra frequens illic fumat utrique Deo.
Illic, Phœbe Pater, medicas ediſſeris artes.
Jamque minus lethi, te duce, regna patent.
Ipſa tibi ſedem ſedemque potentibus herbis
Invicti Errici cura paterna dedit.

Diva

Diva Venus dictat formoſis jura puellis.
  Quælibet hoc cauſas ante tribunal agit.
Huc veniunt teneris evinctæ tempora myrtis,
  Purpureo rutilas flore tegente comas.
Aut cum cæruleis ſol conditur aureus undis,
  Paulatimque fugit nocte premente dies,
Sub viridi myrto, ſub Phœbi virgine lauro
  Tota Dea ducit judice turba choros.
Ille locus Phœbo ſacer eſt, ſacer ille Dionæ,
  Edocet hic herbas ille, ſed illa choros.
Si vaſtata tibi Tempe civilibus armis,
  Apta puellarum luſibus, apta choris,
Nobile Monſpelium, facilis tibi reddit Apollo,
  Delicias Veneri dividit ille ſuas.
Phœbus amat plenam lucem ſibi, Diva cadentem.
  Illa Dei ſtudiis aptior, iſta Deæ.
Nec tua quod rigui deſint ad commoda fontes,
  Fas tibi, tam prope cum ſit maris unda, queri.
Cypris amat toto, cum ſe lavat, æquore tingi
  Totaque Nympharum luſibus unda patet.
Orta mari Venus eſt: placuit vicinia Divæ.
  Hinc Amor, hinc ſedes incolit illa tuas.

AMPHITHEATRUM NEMAUSENSE.

Rudera ſemeſis paſſim pendentia ſaxis,
  Relliquias pompæ, Roma ſuperba, tuæ,
Diſſimileſque ſibi tellus dabit Itala circos,
  Et Gothica centum diruta templa manu,
Amphitheatrales oſtentet Gallia moles,
  Majus opus cunctis una Nemauſus habet.
Quod neque gaudentes ſævis populatibus Hunni,
  Frangere nec Gothicæ ſuſtinuere manus.
Pone decus Latii, majeſtatemque ſenatus,
  Nominibus tantis par erat iſte locus.

Iſte locus cepit Proceres, auguſtaque mundi
  Sceptra tenens iſto culmine ſedit apex.
Aſpice biſſeptem ſubſellia. Lætus in illis
  (Hic Orcheſtra fuit proxima) ſedit Eques·
Tertia pars populi gradibus conſederat altis,
  Vela cavus tenuit qua ſinuoſa lapis.
Illis è caveis ſævi exiluere leones.
  Hic gladiatores cepit arena ſuos.
Flecte oculos, quæ porticibus ſpectanda ſuperbis
  Porta patet, magni Cæſaris illa fuit.
Hinc lupa pendentes oſtendit ab ubere fratres.
  Illa fero ſobolem ſanguine Martis alit.
Omnia Romanæ monumenta perennia famæ:
  Unde ſuum poſcit diſcere Roma decus.

IN FONTEM
NEMAUSENSEM
Prope
TEMPLUM DIANÆ.

ASpice ſurgentes mediis e rupibus undas,
  Et tacitam nullo murmure fontis aquam.
Lucidus ut plenum circumferat alveus orbem!
  Mergat & extremo lumina pæne vado!
Ipſe vadum quamvis prope fons ſibi neſcit, & impar
  Urinatorum cogitur eſſe labor.
Inde levi curſu delabens uſibus urbis
  In tria diviſas brachia ſpargit aquas.
Pone pedem ſurgunt antiqui rudera templi.
  Illic Partheniæ conſtitit ara Deæ.
Ipſe locus ſupereſt, lætos ubi victima quondam
  Purpureo traxit cæſa cruore focos.
Si qua fides, cætu comitum ſtipata ſuarum
  Sæpius his ſeſe Delia lavit aquis.
Intenſis quotiens defeſſa caloribus, aprum
  Aut cæſi exuvias ante leonis agens

Quæ-

Quæreret hic requiem. Sed enim nunquam illa profanis
 Numina fas oculis nuda videre fuit.
Illa piis tantum ſors eſt ſperanda poëtis,
 Queis licet e ſacro fonte levare ſitim.
Sic mihi Caſtalios quantumvis quærite fontes,
 Iſte ſacer fons eſt, ſufficit iſte mihi.

PONS GARDONIUS.

HÆc quoque Romanos dicent monumenta labores
 Terrarum Dominis convenit iſtud opus.
Majeſtas tanti imperii ſub imagine tali
 Nobilius nuſquam tota videnda venit.
Aëra ut arctantes coëunt in fœdera rupes!
 Ut triplici geminus mole jugatur apex!
Ut ſuperimpoſitos tollunt fulcimina pontes!
 Ut mediis fornix ardua ſurgit aquis!
Pontibus ut ſummis ſuperincubat alveus, in quo
 Aëra per medium ducta cucurrit aqua!
Ille quidem ſicca viduatus origine fontis
 Illa ſui tantum ſigna ſuperſtes habet;
Arte tamen victam ſeſe natura fatetur,
 Et ſtupet humanas talia poſſe manus.

IN MASSILIAM.

GAllica Phocæis ſedes habitata colonis,
 Juncta orbis dominæ finibus Italiæ.
Indomiti regina maris, quod diſſita regna
 Terrarum mediis dividit æquoribus.
Gloria finitimas inter ſublimior urbes
 Surgit in extremo litore Maſſilia.
Illa caput lætum navalibus aucta tropæis
 Turpe jugum ratibus præparat Heſperiis.
Illa inter ſcopulos & ſaxa minantia fidum
 Indulget profugis navibus hoſpitium.

Illa ſibi famulo venientes æquore merces
  Accipit a Seris undique litoribus.
Mille procos jactent fluvios ſibi quamlibet urbes,
  Deque triumphatis cornibus imperium;
Maſſilia Æolias ridens ſecura procellas
  Sola manu pontum temperat indomitum.
Sola levem poſitiſque minis fluctuque maritum
  Nerea pacato ſuſcipit in gremio.

AQUÆ SEXTIÆ.

A Mœniorum pulchra princeps urbium,
Tot gratiarum, tot venuſtatum ſimul
Fæcunda nutrix, digna ſedes Conſilî
Sublimioris, ut minantes ætheri
Hinc inde moles, ut ſuperba culmina
Palatiorum, ſpatia ut ampla publici
Ubique juris, denique ut totum tui
Paſſim nitorem, Diva, contemplor lubens!
Ut iſta ſeries montium impendentium,
Et infimarum amœna prata vallium,
Lenique lapſu murmurantes rivuli,
Occurrit oculis grata materies meis!
Qua pinguis olea, qua ferax amygdalus
Raras minutis præbet umbras frondibus,
Viteſque gemmis turgidæ ſerpunt humi.
At iſta grata vultibus ſpectacula
Menti dolorem, Diva, ſollicitum imprimunt,
Dum te relinquo. Qui nitorem, & ardua
Palatiorum culmina, & pulchras domos.
Ipſiſque culta Gratiis habitacula
Ipſis amata, qui juga impendentium
Hinc montium, hinc amœna prata vallium,
Lenique lapſu murmurantes rivulos,
Et amica Tempe, & fructuum ferax ſolum,
Gratas & umbras, irritis laboribus
Ubique quæram, cuncta quæ Provinciæ
Beatæ ocellus Sextiæ tenent Aquæ.

AD

AD SORGAM FL. DE PETRARCHA ET LAURA.

AMnium pater beate lene murmurantium,
Blande Sorga, qui, volutus flexuoſo tramite
Irrigas aprica rura, mille picta floribus,
Unde dulce Barberinæ nectar exugunt apes,
Blande Sorga, quo merentem te feram præconio?
Da, pater, da ſancte laurum, quæ tuis è fontibus
Irrigata neſcit ævi temporiſque injurias;
Unde plexiles corollas, nec profani turbida
Fæce vulgi ſordidatus, ante ſelegit decus
Italæ Petrarca Muſæ, qui tibi quondam tuis
Aſſidens ripis amores ſæpe cantavit ſuos.
Tu pii dudum Poëtæ conſcius tot luſuum
Arbiterque amænitatum, quas Cupidinum pater
Ille, Gratiarum ocellus, voce dulci protulit
Eſtque Laura, Laura, Vatis æviterni gloria,
Quæ feret perenne nomen, templa dum Muſis erunt,
Sæpe purpuramen genarum, ſæpe flaventes comas,
Sæpe flammantes ocellos, virgineſque pupulas,
Sæpe contemplata in undis fluminis pellucidi,
Unde flammis te repente implevit inſolentibus.
Inde originem uſque paſſu candido remetiens
Cærulum mirata fontem, quæque Clauſis, vertice
Ætheri rupes minantes, imminent Convallibus
Strata molliter per herbas ſerta Vati texuit.
Sorga, tu pii Poëtæ lachrimarum conſcius,
Conſcius ſuſpiriorum conſciuſque queſtuum,
Aut, puella cum faveret, &, procul rigoribus
Ire juſſis, dulce Vati blanda rideret ſuo,
Conſcius tot gaudiorum & nutuum loquacium·
Hinc & inde quando ocellis dulce connictantibus

Mille commutata amoris ſigna amantes ederent,
Cum novis armata ſemper illecebris callida
Adderet Puella tantis fomitem caloribus.
Tum Cupidinum volabat deſuper cohors levis,
Queis pharetra & certus arcus excidit ſtupentibus;
Proximo mater Dione conſidens in vertice,
Cum choro Lubentiarum, cum tribus ſororibus,
Sedula ediſcebat artes & jocos amantium.
Dein poſtquam ſevera, ſic volente numine,
Candidiſſimæ Puellæ diſſoluta ſtamina;
Sorga, quanti tu doloris conſciuſque luctuum,
Cum ſuo dolore Vates victus, impar luctibus,
Vocibus nuſquam recluſum repperiret exitum?
Primis autem cum doloris impetus deferbuit,
Paululumque ad ſe reverſa eſt ante mens ſui impotens,
Triſtibus miſer reſolvit heu! quot ora queſtibus?
Cum necis leges iniquas, fata cum crudelia,
Quæ ſuperbientis ævi, quæ decoris gloriam
Abſtuliſſent immerentem cœtibus mortalium,
Mæſtus incuſaret herbis ultimum infuſus tuis:
Diva cui procul remoto conſidens in culmine
Voce ter reduplicata reddidit triſtes modos.
Inde patrium reviſens aëra & notos lares,
Deſerens piæ puellæ morte funeſtos locos,
Sorga, quantis te ſepultum liquit in doloribus?
Ipſe tanto tactus ictu, nec tuos curſus agens
Diceris tum pene ſiccis aruiſſe fontibus.
Sed bene eſt. Nihil timemus, nec tibi talem dabunt
Fata ſortem. Solis annis æmuluſque curſibus
Orbis ævo major ibis, dum pii vatis tui
Fluminis mixtæ meabunt lacrimæ liquoribus.

AD
LAURAM.

Vatis amor Thuſci, victuri digna laboris
Fama ſub hoc tumulo condita Laura jacet.
Ne titulos quæras: ſunt & ſua fata ſepulcris.
Majus ab æterno nomen amante venit.

In

IN ARCEM ARAUSIONENSEM.

ÆQuata cœlo rupis arduæ moles,
Arauſionis indomabiles muri,
Arx, invidentum ſcopulus, irritis fruſtra
Petita toties ambientium votis.
Quæ tot procellis cincta Principi tutum
Secura tanto patrimonium præſtas.
Sis fida ſemper, nec minantibus cede,
Nec te ingruentum terreat catervarum
Immenſa quamvis turba, nec preces flectant.
Invicta talem dextra Principis poſcit;
Talem illa virtus, quæ furentibus circum
Neſcit moveri copiis Iberorum.
Longe Batavis ille finibus pellit
Inviſa ſuperis agmina, & fugam caſtris
Bellator infert ejicitque perculſos.
Hunc demereri perge: dumque tot paſſim
Sola ſuperbas æquat hoſtium moles,
Immota cunctos ſola turbines ride.

AD ILLUSTRES REIP. TIGURINÆ PROCERES

Pro jure hoſpitii gratiarum actio.

TUregi proceres,celeberrima nomina bello,
Orbi nota ſatis,cum ſævus in arma Gradivus
Bella movet pacemque fugat. Scit tota vetuſtas
Ipſaque Roma pavens, patrio cum milite junctus
Fortis inacceſſas Cimber perrumperet Alpes.
Auſtriacæ ſenſere manus, nimiumque ferocis,
Burgundi jurata cohors, cum vidit honores
Ipſe ſuos ductoſque adverſo ex hoſte triumphos
Secum Muratiis occumbere Carolus arvis.

Nun-

Nunc ubi pax laribus rediit gratiſſima veſtris
Mitiaque extinctis labuntur tempora bellis,
Juſtitiæ legumque apices, quæ ſidere læto
Sæcula reſtituunt felicibus aurea terris.
Cernite longinquo venientes orbe Batavos
Hoſpitii memores vobis exſolvere grates,
Lumine quo populos æqualia jura per omnes
Dividitis: votis hæc meta noviſſima noſtris.
Nec ſuper ire licet. Meritis æqualia tantis
Dona ferant alii, grati memoriſque per ævum
Sola peregrinis animi monimenta ſuperſunt.
Si qua tamen conceſſa manet fiducia noſtris
Mentibus, & nullum non alta modeſtia crimen
Ambitionis habet, liceat ſperaſſe favorem.
Illa animi virtus, proceres, pulcerrima veſtri
Sola ſui pretium eſt, nec gloria limite tali
Includi ſe tanta ſinit, quæ vertice ſurgens
Fœdere conjunctas inter celſiſſima gentes.
Hac quoque laude aliis pariles præcidit honores.

Friburgi in Helvetia. 3. Id. Julii 1644.

RIGIACUM ATREBATUM
Urbs Fortiſſima à
LUDOVICO JUSTO
OCCUPATA.

AREa Bellonæ, columen ditionis Iberæ,
Infeſtis regum toties concuſſa tiaris,
Nunquam victa tamen, ſed inexpugnata tot annos
Et regi bene fida ſuo, ſemperque triumphos
Siſtens Borbonios, & tantis fibula fatis,
Quam non Belga ferox, quam non dominator Iberus,
Non circumvolitans victricibus undique ſignis
Gallia fatorum domitrix ſibi credidit ipſa
Poſſe capi, nunc fracta minas, nunc ſupplice vultu

Dat debellatas victori victa ſecures.
Regia progenies, tumidi quem rector Iberi
Impoſuit Belgis, nequicquam obnitier auſus
Certa triumphanti ludibria præbuit hoſti:
Et, ne qua non parte duci fortuna noceret,
Adfuit ipſe ſuis ſpectator cladibus, ipſe
Vidit, & ingemuit, victricibus aucta tropæis
Laurigeris fulgere hoſtilia valla coronis.
Verte vices, Natura, tuas: ſacrata reſolve
Jura, atque æternas Hiſpano judice leges,
Omnia qui potius quæcunque futura putabat,
Quam fore, Borboniis Atrebas ut cederet armis.

IN ROSAS A GALLIS CAPTAS.

SErta colorati Dea formoſiſſima veris
  Nectere dum capiti vult, Ludovice, tuo,
Implicuit geminos æterno fœdere flores,
  Aurea purpureis lilia mixta Roſis.

DE EADEM.

Illa mari, terrâque potens, valliſque, ſituque
  Magnanimo Rhodope ceſſit, Ibere, Duci.
Augurio à tali diſcas tua fata, ſuperſit
  Cum tibi, poſt demptas, nil niſi ſpina, Roſas.

ITER TOXANDRICUM

Sermone ſerpente, & ſtylo pedeſtri ſcriptum,

AD

GOESIOS FRATRES.

GOeſiadæ fratres veſtrum eſt quod ſimplice verſu,
Et levibus fudit noſtra Thalia modis:
Cum terræ ſpatia & vaſtum nos dividat æquor,
Preſentes animos arguat illud opus.

EGreſſum Leida me nobilis Haga recepit,
Aula Batavorum. Comes hac mihi Goeſius heros
Backeruſque via, juris legumque periti,
Ille etiam Themidos cinctus ſua tempora lauro.
Hic ſtomachi rabiem placavimus ut pote magnum
Aggreſſuri iter. Hic primum Backerus amicos
Deſeruit properans dilectam inviſere matrem
Atque aviam, quæ tunc animam vix ægra trahebat
Fors etiam cupido neque tum quoque viſa nepoti.
Hinc Delphum curru pervenimus, inclyta magni
Principis Auriaci quæ gaudet patria dici,
Goeſiadæque mei poſt Groti nobile nomen.
Inde iter ingenti corruptum erepſimus imbri.
Proxima rite novo conſurgit Sluſia templo,
Cui pater undarum nomen dat nobile Moſa,
Piſcatu Batavas inter clariſſima terras.
Apparet jam Moſa pater, qui tunc rate parva
Trajiciendus erat, quamvis adverſa ſonarent
Flamina & emoti pulſarent litora fluctus.
Hinc tamen incolumes ad celſæ mœnia Brilæ
Venimus, aſſertæ quæ libertatis origo
Nomen ad ignotas tulit indelebile terras.
Illic repperimus patrem Goeſique meumque,
Illic qui Batavi Comitatus nomine agebant.

Goe-

Goeſius hic patrias (ibi erant) divertit ad ædes,
Me vero hoſpitio excepit mirabilis hoſpes
(Ut ſemel abſolvam) planeque Cicerrus Horati
Meſſius. In media fulgebat fronte cicatrix,
Exectum cornu juraſſes aut ſiliem,ſed
Exectam ſilicem vetat inſipientia credi,
Quam ſilice execta curari Hollandia credit.
Ille autem, nobis quo non inſulſior alter
Unquam viſus erat, cui nulla in corpore tanto
Mica ſalis fuerat, nimio ſale corrumpebat
Cuncta tamen, nos ipſa ut credo redargueret re.
Altera lux orta eſt. Primum dape membra refecti
Ipſius ad limen curru pervenimus Orci.
Sic Batavis locus ille ſonat, certiſſimus unde
E Batavis trajectus ad undivagos Toxandros.
Illic regali calcavimus inclyta paſſu
Atria, quæ Mariam triplici diademate cinctam
Cum vectam extremis deduxit ab uſque Britannis
Hoſpicio tenuere ſuo. Jam vela parantur
Et ratis, adverſa quæ nos exponerit ora.
Hinc Somersdyckam transmiſſis venimus undis,
Quæ magni monumenta viri cinereſque reſervat
Arſenii herois, quo majus Belgica pectus
Vix ullum ſeſe meminit genuiſſe ſub ævum.
Hic rurſum volucres conſcendimus ordine bigas,
Et terram, Theodore, tuam vicumque ſubimus.
Non mihi ſi docti foret aut facundia Tulli
Aut centum linguas uno ſimul ore tenerem,
Andromedæ poſſem dignas evolvere laudes.
Illa coloratis ſoli vicinior Indis
Volcani ſeſe genitam de ſtirpe ferebat.
Contemnens Venerem doteſque amplexa mariti.
Hoſpitio nos ille ſuo tectoque recepit,
Utque ſalutatos primum excipiebat amicos,
Qualia proh! noſtris figebat baſia labris?
Invidiam fecere Diis. Gratiſſimus oris
Halitus ah! qualem ſpirabat ab ore Mephitin?
Hic noctem feſti tranſegimus; utque ſequens lux

Ve-

Venerat,ardebat mens totum inviſere tractum
Et tot fœcundos quaqua patet inſula campos.
Paſſim ergo circumvehimur Flackeia regna
Et Tongas intramus. Ibi (mirabile dictu !)
Non potus cerealis erat, ſed dulcia tantum
Munera Lenæi nullis inviſa poëtis.
Adde ſaporem inſignem;adde & pretium exiguum jam
Ad Ligerim aut Rhenum me deveniſſe putabam,
Andromedæ veſper nos inde reduxit ad ædes.
  Nocte recens pulſa fragilem conſcendimus ornum
Rurſus & hinc miſeram properamus Bomenedæam.
Quæ juris Batavi a Batavis diſcernitur unda;
Eſſe ideo quondam Toxandri credita juris.
Hinc ad Toxandras venatum tendimus oras
Ad pingues campos & amœna vireta Reneſſæ,
Unde ſuum titulis gens fert clariſſima nomen,
Haemſtediaſque arces, quas nobilis Eyndius olim
Reſtituit,ſtatuitque loco indelebile nomen.
Hinc noſtræ reduces ad litora Bomenedeæ,
Ut novus ex alto ſurrexerat æquore Titan,
Poſtquam dilecto valedixit uterque parenti
Et reliquis, qui nos fuerant huc uſque ſecuti,
Aggredimur jam majus iter. Nam Goeſius heros
Ardebat luſtrare tuas, Toxandria, terras,
Quamvis ſparſa jaces & dividit omnia pontus.
Ante alias pars Toxandræ non ultima terræ
Uberibus felix aperit ſe Scaldia glebis,
Arboribus rara & cunctis expoſta procellis.
Sed qua Sonmaria via tendit ad uſque Sionis
Facra olim monachis loca pinguibus, arbore multa
Gaudet ager,variæ faciunt umbracula frondes,
Atque ubi arenoſi ſurgunt contra æquora montes
Jucundis apti venatibus ad latus omne,
Felix perpetuis veſtitur terra viretis.
Tota duas quanta eſt tellus modo continet urbes.
Quo celebretur, habet vix Brouershavia quicquam,
Quamquod Catziaden miranti protulit orbi
Et doctos Hobios & Fanni pectus amicum.

Sed

Sed terræ Zirizæa caput prope mœnia tollit,
Multis nobilis illa modis, clariſſima quondam
Mercatu, dum ſors ſivit, dum Jupiter æquus;
Nunc noviter foſſo ſe poſſe reſurgere portu
Sperat, & hæc cœlo commendat vota faventi.
Salve Toxandræ laus antiquiſſima terræ,
Nunc capite à ſummo ſupremi proxima juris.
Salve Diva meæ clariſſima patria matris,
Dilectæ matris, dum Parca heu ſæva ſinebat.
Tempus erit ſi fata ſinent, quo dicere laudes
Rite tuas potero; nunc tempus deficit & nunc
Adverſis propero committere carbaſa ventis.
Ut Zirizæam ergo luſtravimus, omine lævo
Solvimus à portu. Veram fineſque Valachros
Curſus erat. Numerus vectorum magnus: in illis
Merſtiadem inveni veterem notumque ſodalem.
Aura favet primum, faciles juvat aura meatus.
At poſtquam propior nobis Bevelandia ſurgit,
Cui jacet adverſo contraria Scalſia portu,
Ventorum fortuna movet variabilis orbem,
Et ſubito velis contraria flamina ſurgunt.
Adde quod obliquo diducere carbaſa flexu
Non licuit. Subito cunctæ cecidere procellæ,
Quæ mala dicuntur noſtris teterrima nautis.
Adde malis majus cunctis. Defecerat æſtus;
Adverſo rapuit retro nos alveus amni.
Quo tam infelicem meruerunt crimine ſortem
Innocui Themidiſque novenarumque Dearum
Cultores? Amythaonides an vectus Jonas
Noſtra nave fuit, juſtis qui victima Divis
Ex alta fuerat rate deturbandus in undas?
Hic aliquis pulla ſurgit de gente miniſter,
Et quis erit noſter, juvenes, hic, inquit, Jonas?
Hic aliquis lepide me judice ſubjeciſſet,
Quid dubitas? veſtri quondam fuit ordinis ille.
Attigimus longo tandem poſt tempore Veram,
Veram, fallaci nuper quam proditor hoſti
Tradere tentarat. Sed enim pia numina fœdum

Conſilium evertere. Ipſe autem criminis autor
Conſcia ferali fregit ſibi guttura reſti.
Membra viri diſſecta ſupra urbis mœnia pendent.
Jam Sol occiduas vergebat ad æquoris undas,
Cum Middelburgum pedites pervenimus, illud
Toxandræ caput & lumen prænobile terræ
Cenſendumque inter clariſſima nomina Belgî.
Hic cives ære & circumfulgentibus armis
Inſignes, totam paſſim volitare per urbem
Aſpicimus fractoſque ſonos miramur & ignes.
Illi autem, quamvis trifidas Regnator Olympi
Comminiſtas tonitru jactaret ab æthere flammas
Cœlum ipſum ardendo, cœlum ſuperare tonando
Ardebant atque exemplum revocare Gigantum.
At poſtquam immenſus deſcendit ab æthere nimbus,
Quantum vix unquam terris cecidiſſe putaris,
Tum verò dare terga fugæ, paſſimque ſolutis
Ordinibus, cunctos ſine more modoque videres
Sub tectum ruere & cœlo concedere palmam.
Poſtera lux nobis ſpectandam præbuit urbem
Inſignesque domos & tot ſpatia ampla viarum.
Turrim opere inſignem (niſi quod propendeat unam
In partem leviter) conſcendimus, unde Brabantos
Pleumoſioſque uno licuit comprendere viſu.
Cæſaris hic Gaudam cunis Heinſique celebrem
Vidimus et Brugæ celſas aſſurgere turres,
Et quæ Pleumoſium cogit latus undique Sluſam.
Fliſſingam hinc pranſi pedibus velocibus imus.
Fliſſingæ toto clariſſima mœnia mundo
Intramus, toties adverſæ inſignia partis
Cladibus & raptis inimico ex hoſte tropæis.
Illic præcipuo conſurgit curia cultu
Vix ulla aut opere aut forma minor. Ardua cujus
Culmina dum nixi conſcendimus, admirandus
Lumina præcipue graduum defixerat ordo.
Quippe ita formati fuerant itaque ordine pulcro
In medio juſti ſpatium ſupereſſet ut orbis
Cujus ope in ſummum tendentibus undique gyris
Annu-

Annulus injectum deduxit ad infima viſum.
Quid diſtincta loquar variis triclinia formis,
Et quæ præterea miranda videntur ibidem?
Principis Auriaci hîc etiam conſpeximus hortos
Magnaque præluſtri conſtructa palatia mole.
Jam Sol oceani vitreas properabat ad undas.
Mœnia Fliſſingæ clariſſima linquimus ergo
Atque eadem verſis legimus veſtigia plantis.
Nox Middelburgi exacta eſt. Hinc luce ſequenti
Alta ad litoreæ redeuntes mænia Veræ
Arnmudam prætervehimur, miſerabile ſortis
Mutatæ exemplum & tantæ monumenta ruinæ.
Venimus ad celſæ ſic promontoria Veræ.
Solvimus à portu cœlo ventoque favente
Et pulcram appulimus ſinuoſa per æquora Goeſem.
Nominis hæc auctor gaudet cognominis eſſe
Goeſiadæ Heroi totique ex ordine genti.
Goeſiacæ intramus prima incunabula gentis,
Urbem munditie inſignem formaque viriſque,
Qui magnis ditati opibus fugere procellas
Aularum & ſedem hanc legere ignobilis otî.
At regio uberibus fortunatiſſima campis
Et mille arboribus circum lætiſſima ſurgit.
Purus inoffenſa fulgebat lampade Titan.
Aura levis duri frangebat ſideris æſtum.
Ipſe æther virides nos invitabat in agros.
O præ Theſſalicis Tempe gratiſſima ſilvis!
O nemora! ô colles! ô Diis dilecta voluptas!
O Charitum ſedes! Venerîſque novemque Dearum!
Illa vel invitos feciſſet terra poetas.
Me quoque ſublimes eadem tollebat in auſus
Et vates prope factus eram. Cultiſſime rerum
Heinſiade, magni veriſſima patris imago,
Heinſiade, fidis utinam te numen amicum
Nubila trans cœli ſuper alta cacumina raptum
Præſentem, incolumem tunc exhibuiſſet amicis
Partituſque fores jucundæ gaudia lucis
Feliciſque viæ! Poſtquam luſtravimus illum
H 2 (Tem-

(Temporis admiſit tum quantum anguſtia) tractum;
Mane novo portum petimus, fortiſſima Bergæ
Munimenta petituri extremoſque Brabantos.
Hîc verò vix credibile & mirabile monſtrum
Occurrit: ratis omnis abeſt. Tendentia Bergam.
Nulla vel in toto parebant carbaſa portu.
Quid faceremus opis nos & rationis egentes?
Sed melior fortuna favet, quæ viſa furenti
Primum in nos rabie concurrere, diſpulit æqua
Omina cuncta manu. Tum forte liburnica magnæ
Urbis, ab Amſteliis quæ fert ſua nomina lymphis,
Ad portum hærebat, qua Bergam navita iturum
Præcipuum Amſtelia Heroem de gente ferebat.
Ad Diomedem ergo legatus mittitur ipſum,
Qui res acciſas proponeret auxiliumque
Poſceret inſtrueretque animum ſermonibus aptis.
Ille autem ſibi nos gratos fore dixit, & ultro
Obtulit officium, noſque in ſua tecta recepit.
Omnia pro voto cedebant. Optima navis
Et munita ſatis ſi fors occurreret hoſtis
Humanuſque hoſpes, nec bello corpore Nymphæ
Præſtantes aberant. Quæ ſors majora dediſſet?
Sic bene prandentes Bergam pervenimus, ante
Quam portu prope nos Goeſæ ſolviſſe putabam.
Nec cito gaudebam optatam nos tangere metam.
Ipſe minus celerem voluiſſem currere lintrem,
Ipſe iter adverſum ventum adverſumque precabar.
Inde vale dicto gratos teſtamur in ævum
Officii tanti fore nos urbemque ſubimus.
Hic aliquis nos aſſequitur de gente ſagata
Cui nolis in deſertis occurrere ſilvis:
Unde venitis, ait? quo tenditis? & ſimul urbis
Eſſe ſalutandum præfectum nos monet, ante
Quam liceat tutis diſcedere. Siſtimur ergo
Morganio Heroi centum per prælia noto.
Ille ubi quæ voluit nos cuncta rogavit, & eſſe
Innocuas animas, animo nil fraudis agentes
Cognovit, dicta nos acceptaque ſalute

Di-

Dimiſit. Jam dudum avidi clariſſima noſtris
Jam luſtrare oculo propiori mœnia bellis,
Præcipites vallos conſcendimus,inſtar & altæ
Turris, & excelſum ſurgentis in aëra montis.
Quid diſtincta loquar tot propugnacula formis,
Terrorem infeſti & fruſtra aſſultantis Iberi,
Invictæ prope molis opus ? Quod ſimplice verſu
Et parvo nunquam liceat deſcribere motu.
Non fruſtra dux Farneſio de ſanguine cretus
Magnus Alexander, non fruſtra ductor Iberum
Spinola, par magnis Heroibus, ipſe ſuorum
Maximus, infeſtas nequicquam exercuit iras
Et nil proficiens & per ſua damna repulſus
Semper & hac una ſe faſſus uterque minorem.
Scandimus hinc ſummæ ſublimia culmina turris,
Unde omnem terram hoſtilem fineſque Brabantos
Cernere erat. Pulcras illic Antverpia turres
Templaque tollebat Belgarum atque orbis ocellus.
Illic Auriaci ſurgebat gloria Breda.
Hinc ipſum in templum deſcendimus. Aurea late
Fulgebant monumenta ducum, qui ſanguine forti
In Berga patriæ tot defendere ſalutes.
Illic Baxiadæ, Mavortia nomina, fratres
Bronchemiique & Rethovii præluſtria fulgent,
Et quos præterea breviter comprendere non eſt.
Omnibus his viſis Scaldis tranſmittimus undas
Et ſtrictim aſpicimus deſertæ mœnia Tholæ.
Hic currum nacti Staveniſſam venimus, unde
Eſt miſeram facilis trajectus ad uſque Vianam.
Vicinas navi exigua hic trajecimus undas,
Sanguine mutatas nuper, cum triſtis Iberi
Conjurata manus noſtras excindere terras
Tentarat; ſed enim naves iraſque viroſque
Diſperſos toto viſit Toxandria ponto.
Proxima ſuccedit miſeræ Zirizea Vianæ.
Huc pedites (aberat currus) pervenimus. Illa
Finis erit chartæ, finis fuit illa viæque.

Zirizeæ Toxandrorum ipſis Aug. Idibus 1642.

AD
ANNAM BORBONIAM
PRINCIPEM LONGÆVILLANAM,
Cum Monaſterium veniret.

NYmpha fatigatis exoptatiſſima terris,
Certa ſalus populi, toto cui pondere Mavors
Incubat, & circum furialibus intonat armis:
Nympha diu ſperata, veni, parvoſque penates
Majeſtate favens auguſti numinis imple.
Adſis ô, mundoque tuos oſtende labanti
Sidereos vultus, precibuſque aſſueſce tuorum,
Et votis, & thure coli. Veriſſima Divûm
Progenies, ſeu tu læto Pax aurea vultu,
Seu magis Erigone non dedignata vocari.
Ipſa tibi æternos jam nunc meditata triumphos
Aſſurgit regio, tanti ſecura tumultus.
Ipſa caput rerum, ſperataque meta laborum,
Tot complexa ſinu populos, Regumque miniſtros,
Centum ignes, centum lucentes ignibus aras
Præparat, & feſtas attollit ad æthera voces:
Dum debellatis feliciter undique monſtris,
Et cauſſis bellorum ima de ſtirpe reciſis,
Jam gravibus tandem vinctum poſt terga catenis
Mavortem ductura venis, dum vindice tali
Gentibus afflictis Saturnia naſcitur ætas.

AD PACEM
Pro Illuſtriſſimo Viro

CLAUDIO MEMMIO
Comite de Avaux, &c.

REGIS CHRISTIANISSIMI
Ad Convent. Monaſter. Legato &c.

IMpio dudum Dea pulſa mundo,
Sæculi vindex melioris olim,
Sede quam pridem patria recepit
Purior æther,
Orbis affecti miſerata curas,
Jam tuis tandem reditura terris,
Frondis æternæ, Dea, præparatam
Sume coronam,
Quæ jugis magni riguis Olympi
Nata, ubi nubes pluvioſque tutus
Deſpicit ventos, apicemque ſummis
Inſerit aſtris,
Sæculi curis procul, & profani
Sordibus nunquam vitiata vulgi,
Memmii ſacro capiti perennes
Nectat honores.
Si qua ventura es, neque vana tot jam
Vota nequicquam jaculamur annis,
Memmii acceptum referes perenni,
Diva, labori.
Orbis agnoſcet, meritiſque tantis
Victus applaudet, peritura nullis
Pacis auctori monumenta certus
Figere ſæclis:
Si meo pulſum toties Gradivum

Debet Heroi, requiem nec una
Parte terrarum toties reductam
Munere Memmi.
Ille naſcentes Latio tumultus
Sopiit prudens, penituſque ab ima
Semina ingentis male nata belli
Stirpe recîdit.
Ille facundo Tiberim minantem
Ore repreſſit, ſolitoque ſepſit
Alveo: fractus poſuit feroces
Adria fluctus.
Senſit inſanis agitata turbis
Memmium tellus glacialis urſæ
Liberatorem. Rediere feſſæ
Ocia genti.
Prœliis audax, animæque fortis
Prodigus, ſævam poſuit bipennem
Suecus, æternæ patiens domari
Fulmine linguæ.
Quique equos lentis dociles habenis
Impiger parere jubet Polonus,
Certa in adverſos melius recondit
Spicula Thracas.
Illa ſed magni quota pars triumphi,
Quem meus ſublimis aget, ſuperbis
Ardui emenſus ſpacium quadrigis
Ætheris, Heros?
Vinctus æternis Furor arcta nodis
Membra, non ſuetaſque trahens catenas
Ore deſpumans saniem feroci
Ibit Enyo
Triſtis: at lætus pater ibit undis
Rhenus aſſertis, nimium nec ultra
Inſolens ripis equitum ſonabit
Ungula tritis.
Nulla pacatus feret Iſter arma
Gentis infeſtæ, meritoque tantum
Biſtonum tinctus Scythicum cruore ex-
ibit in æquor.

An-

Audiet nullos ſtrepitus tubarum
Fluminum rex Eridanus, nec ulla
Ingruet rurſum Sicori procella
Turbinis atri.
Moſa ſecuros aget inde fluctus,
Liſa inoffenſo pede curret, agros
Fertiles tingens, aliuſque viſet
Nerea Scaldis.
Ipſe quin vaſti domitor profundi
Liber immunem quatiet tridentem.
Nulla prædonum manus inquietis
Sæviet armis.
Cæptum iter tutæ peragent carinæ,
Naïdes ludent patrias per undas,
Memmii junctis dociles choreis
Dicere laudes.

ILLUSTRISSIMO VIRO
CLAUDIO MEMMIO,
Comiti de Avaux, &c.
REGIS CHRISTIANISSIMI
ad Convent. Monaſt. Legato,
HERCULI MUSARUM.

JActet Græcia nobilis,
Audax immodicis tollere laudibus,
Alciden genitum Jove,
Quod fortis ſolido robore dexteræ,
Vinci neſcius, impia
Biſſenis domuit monſtra laboribus.
At Te, ſidus amabile,
Immortale decus Sequanici ſoli,
Antiquæ columen domus,
Quæ primam Latio ducit originem,

Summi faſcibus Imperi
   Olim Romuleis nota nepotibus,
Memmi maxime, Patria
   Non vanis potior jactet honoribus.
Tu tot monſtra, tot horrida
   Portenta, è Stygiis miſſa paludibus,
Quæ noſtri generis lues
   Secum Barbaries ad ſuperos trahens
Orbi invexerat improba
   Ipſi, ſi reducem fata darent ſuis,
Formidanda vel Herculi,
   Vi contra impavidi pectoris obvius,
Fregiſti indomita manu
   Nec quicquam reliqui jam ſupereſt mali.
Audet munere jam tuo
   Inſtaurare choros turba Novenſilis
Undoſum prope Sequanam,
   Qua vineta ſacris conſita collibus
Interlabitur, & pede
   Percurrens riguo prata virentia
Neſcit rodere marginem,
   Mæandrique vagis flexibus æmulus
In ſeſe redeuntibus
   Immenſi gremium tendit ad æquoris,
Nec montis gemini juga
   Nec Pindus potior Pieriſin locus,
Nec laureta virentia,
   Quà fudit riguos Alitis ungula
Fontes Bellerophontii,
   Nec Dirces potior ripa Bæoticæ.
Aulas munere jam tuo
   Regum liber adit Virgineus chorus,
Nec vultus procerum timet,
   Stipatoſque gravi mole ſatellites
Audet Borbonios Duces
   Securis oculis cernere, & arduum
Latè tollere verticem,
   Et tutam digitis tangere barbiton.

Non

Non illud neget Angiæ
 Princeps, Borbonii gloria ſanguinis,
Regni gloria Gallici,
 Inſignis geminæ Palladis artibus,
Quantum Luna minoribus
 Præfulgens radios eripit ignibus.
O ſæcli decus, ô chori
 Vindex Aonii, barbariem tibi,
Memmi maxime, ad ultimos
 Fines ſepoſitam terræ habitabilis
Debemus, Tibi Numina
 Permeſſi ſolitis reddita cultibus.
Nec ſi, ingrata laboribus
 Ætas noſtra tuis, ſolvere differat,
Deerunt debita præmia.
 Jam nunc (pondus habent omnia ſi ſuum,
Et vates merito ſumus,)
 Virtuti pretium docta rependere,
Judex Candida, jam tibi
 Tanti poſteritas conſcia muneris
Aras templaque thuraque
 Muſarum egregio præparat Herculi.

AD
BERNARDUM MALLINKROTIUM,

Decanum Cathedr. Eccleſ. Monaſt. & Coadjut. Mind.

TOto fugatis orbe furoribus
 Pax alma jam deſcendit ab æthere,
 Pridem relictæ Diva fixam
 Rurſus humi poſitura ſedem.
Hinc bellicoſus ſpicula Cantaber,
Illinc Batavus condet, & aſpero
 Germanus acer junctus hoſti
 Sepoſitis requieſcet armis.

Velata

Velata ſacram Palladiæ comam
Ramis olivæ prima videbitur
Veſtris, Malincroti, ſub oris
Certa ſalus oritura mundo.
Veſtram per urbem, mœnia Saxonum
Antiqua, nobis aurea ſæcula
Tandem reducens, liberali
Prima manu ſua dona ſparget.
En illa Muſis dulcibus otium,
En illa ſoles ſpondet amabiles,
Pulſoque tempeſtatis atræ
Turbine ſplendidius nitentes.
Teque illa, magnum ô Saxoniæ decus,
Cultor ſacrarum curaque virginum,
Invitat, ut victura tandem
Ingenii monumenta promas.
Phœnix Batavus, gloria temporum,
Cui Roma vivo, plus vice ſimplici
Decrevit æternos honores
Purpureique decus galeri.
Sed livor, & fucata coloribus
Gens læva recti, turbaque degener,
Infenſa candori ſepultum
Perpetuis voluit tenebris,
Te poſcit. Altum rumpe ſilentium,
Cauſaſque cunctandi, & cineres tuis
Heroïs invicti per ævum
Aſſere vindiciis beandos,
Vir ſumme, quem deducta parentibus
Stirps priſca magnis, nec minor igneæ
Vis mentis extollit profana
Plebe ſuper potiorque virtus.
Hoc tota mecum poſteritas rogat:
Mecum Batavi: læta tuum piis
Stirps omnis agnoſcet nepotum
Obſequiis venerata munus.
Fas & beatos (nec dubitabimus)
Gaudere manes, neu Temeſeïo

Quod

Quod grata conſtructum metallo
Monſtrat opus patria invidendum,
Tam juſta menti gaudia conferat,
Cum ſola chartis ſculpta perennibus
Injurias ignoret ævi
Fixa piis animis imago.

AD
HONORATUM CURTINIUM,
Senatorem Rothomagenſem,
QUI
PRINCIPEM LONGÆVILLANAM
Monaſterio in Galliam redeuntem erat comitaturus.

IBis belligeram viſere Galliam,
Et dilecta tuæ litora Sequanæ,
Auguſtoſque ſinus Principis urbium,
Et notos repetes lares:
Nec te triſtis hyems, nec boreæ furor,
Non conſtricta gelu flumina, & aſperæ
Ultra Saxonicis detineant nives,
Curtini, regionibus:
Non Pax alma, ſuo quæ modo ab æthere
Oſtendet populis purpureum caput,
Tandem rota ſuis reddita, poſt preces
Et ſuſpiria gentium.
Sed, quamvis propior me dolor urgeat,
Et te, quem juvenem Neuſtria ſuſpicit
Et perculſa ſtupet jam ſenibus parem
Alti pondere conſilî,
Cunctis ingenii viribus ignei,
Vix noſtris patiar vultibus eripi,
Ultro fata ſequor, votaque non reor
Fas tam juſta morarier:

Dum

Dum frontis properans lumen amabile
Jam dudum viduæ reddere patriæ
Princeps ſidereis pulchrior ignibus
Te ſecum comitem trahit:
Quam ver perpetuum, quam Zephyri leves
Cingunt innocuis pone volatibus,
Atque inter lituos armaque blandior
Pax ſemper ſequitur comes.
Talis Threïciis cum Dea finibus
Marti juncta diu Cypria ſubſtitit,
Cypri ſola ſui litora reſpicit
Aut celſam repetit Paphon.
Illam tela ferens Idalius Puer,
Illam blanda Charis juncta ſororibus,
Et pulſans agili dulcis humum pede
Nympharum ſequitur chorus.
Nec ſe Borboniæ Cypria Principi,
Nec formoſus Amor ſe tibi præferat,
Nec Nymphæ, comites, pulchraque Gallicis
Certet Gratia vultibus.

FRAGMENTUM

Ut videtur de motibus Europæ.

QUis furor heu! placidas infeſtat, numina, gentes
Et terris nova bella ciet? pulſone Tonanti
Tertius in primas hæres ſucceſſit habenas?
An redit effractis pubes Titania vinclis,
Altaque congeſtos effert ad ſidera montes,
Ejectoſque fugat ſuperos? Et ab æthere pulſus
Arma movet, pacemque nimis Mars invidet orbi?
Non ſatis, ô ſuperi, bellorum involvitur undis
Et miſeranda ſuas ſentit Germania clades!
Non ſatis imperii quondam florentis imago,
Et nunc umbra ſui; diſcerpitur Itala tellus,
Et toties moritur? nunc implet milite campos

Gal-

Gallia, nunc motis occurrit Iberia ſignis.
India, quæ primo reducem lavat æquore ſolem
Non intacta malis; nec tu quæcunque remoto
Cardine gens habitas, multo felicior olim
Cum detexiſſet nondum tua regna Columbus,
Notis nota peris: nec adhuc crudelibus auſis
Conceſſum, ſuperi, ſatis eſt, niſi ſumma malorum
Ultima funeſtis accederet Anglia fatis.

EMINENTISSIMO CARDINALI MAZARINO,

Regiæ Majeſtatis Gallicæ Atlanti, ſuper orto Pariſiis tumultu.

GAllia ſiſtendis quæ ſufficis una Philippis,
  Teque doces ſociis poſſe carere tuis,
Civiles quatis ægra faces, & te ruis ipſam?
  An tantæ, quo ſtat Cardine, cardo rei eſt?
I contra Maſarine. Tuo Rex gaudet aſylo.
  Te ſuperante parens Regia ſalva manet.
Quæ tua, Borbonidum cauſſa eſt. Tu protegis illos.
  Hac virtute, malis artibus horror eris.
Eloquar, ut ſcenam capio. Præluditur Anglis
  Fabula, & à Gallis plauditur. Hoc prohibe.

ALIUD AD PRINCIPES EUROPÆ,

Occiſo Angliæ Rege.

STraffordo moriente, ictu Rex Anglus eodem
  Saucius, extinctam flevit inermis opem.
Diſcite cuſtodes benè cuſtodire, Monarchæ.
  Horum dependet veſtra ſalute ſalus.
Regia Majeſtas ſublatis tota Miniſtris
  Tollitur. Hoc regnant ſceptra ſodalitio.

Par-

Prætextus ſcelerum faciles. Sed pondera Regni
Velle ſuo regi tradere, nolle regi eſt.

PRO
CAROLO II.
Anglorum, &c. Rege ad Scotiam.

SCotia, quæ bis dena tuos per ſæcula reges
Ducis, & ex uno ſanguine ſceptra trahis,
Gens Europæas inter fortiſſima gentes,
Belliger, at nulli ſubdere nata manus,
Aſpice, qua ſocios *Ferſax* face concitet Anglos,
Quâ caleat *ferri* parte cruentus homo.
Regna ſibi parat inverſo *fax* altera ſceptro.
Jura Caledonii ſtemmatis alta ruit.
Terribiles vibrat Caroli per colla ſecures,
Oppreſſâque ferox miles in urbe furit.
Auguſtas cæſo plebs regnatore curules
Scandit, & in geminas fulminat enſe domos
Armatâ ſtat pegma manu, Regemque ſequuntur
Ingentes, qui pro rege ſtetere Duces.
Non vidit par terra ſcelus. Nec gente ſub ullâ
Talia regalis verbera ſenſit apex.
Anglia in anguſto eſt. Bellatrix Scotia, reſtat,
Ut tu, quæ tua ſunt, regna Stuarda ſtruas.
A te empto, male dum jactat ſe rege Britannus,
Redde armis pretium venditi, ut hunc redimas.

PAX BELGICA.

QUam furor armorum toto procul orbe fugarat,
Aſpice, Belga, Deam, quam nunc prece victa potenti
Alma Deûm pietas patrio demittit Olympo.
Cernis, ut oppoſitas manifeſto lumine nubes

Fin-

Findat, & in noſtras deſcendat lætior oras?
Non fucata genas, nec opaca nocte ſerenum
Cincta caput, qualis primi poſt tædia belli
Exiguis tantum radiis, & luce maligna
Siderea indignans quondam perfuderat ora.
Sed ſolito cultu, Phœbique ſimillima flammis,
Pura nitens & tota venit. Quis munera Cœli
Digna laude canat, meritoque exæquet honore?
Non ſi Pleumoſiis quotquot paſcuntur in arvis,
Aut quot apud rigui fæcunda Batavia Rheni
Nutrit aquas, cæſa veniant cervice juvenci.
Non ſi cuncta ferant molles ſua thura Sabæi,
Totaque odoratos indulgeat India lucos.
Scilicet inſani poſt fœda piacula motus,
Quem Superi æternum fore mortaleſque canebant,
Concuſſumque armis late feralibus orbem,
Inque necem excitas utroque ab litore gentes,
(Nam quid inexpertum, quid inauſum liquimus? aut quæ
Non ſervat regio noſtri monumenta tumultus?
Sola ſuo poterat nec enim par eſſe furori
Belgica, nec tantis ſuffecerit una ruinis)
Illuxit ſperata quies, vincloque perenni
Nectit compoſitam melior concordia gentem.
Credimus? An dubiæ fingunt ſibi ſomnia mentes?
Optatamque vident vanâ ſub imagine Pacem?
Credimus. in mediis quamvis obtutibus hærent
Lumina, nec tantis audent ſe fidere rebus.
Tu, Dea, tu proles ſummi indubitata Tonantis,
Quæ bona, quot tellus, quot continet arduus æther,
Cuncta ſinu complexa tenes, ſpes una labantis
Et columen populi, cujus felicibus audent
Auſpiciis preſſæ jam tandem exſurgere leges,
Parce tuo vati: nec enim ſi totus inundet
Me riguâ Permeſſus aquâ, Dirceque volentem
Impleat, enumerem tantarum nomina laudum:
Sed cupidum tu, Diva, doce, quo numine Belgis
Exueris ſævos animos, alternaque primum

Mitibus impuleris paulatim cedere corda
Conſiliis, veteres mox oblivíſcier iras:
Inde odio dederis bellorum & amore quietis
Illinc Pleumoſios, iſtinc ardere Batavos:
Denique rixarum cauſis ab ſtirpe reciſis
Iunxeris unanimes manſuro fœdere Belgas.
Viderat immenſis afflictum cladibus orbem,
Qua patet, omnipotens ſummi Regnator Olympi
Vix ſibi, vix propriis ultra ſupereſſe ruinis
Indignans, ſortemque hominum miſeratus iniquam.
Namque hinc ſciſſa comas, perfoſſaque pectus honeſtum
Vulneribus, plagæque locum vix tota relinquens
Cœlo oſtendebat laceros Germania vultus.
Hinc pulchra Italia, imperii felicis imago,
Dum ſors æqua fuit, dominos nunc paſſa potentes,
Et diviſa ſuis, & tot jactata procellis
Armorum, veterem tollebat ad æthera queſtum.
Illinc Dalmatico palantes litore Thracas,
Atque ipſi reptata auſos invadere regna
Spectarat. nec ſe quamvis onerata tropæis,
Immuniſque domi bellorum, Gallia tutam
Felicemque illâ ſub tempeſtate putabat.
Inde Catalauno turbata Hiſpania motu,
Avulſoque minor tanto de corpore regno,
Pacem animis, pacem non unâ voce vocabat.
Et quæ communi ſpectatrix ſola theatro
Sola intacta malis, ſola otia mollia ducens,
Dum fera commiſſos exercuit area Reges,
Sederat, externo ne mitius enſe periret,
In ſua veſanos armabat viſcera cives
Albion. An gentes alio ſub ſole repoſtas,
Americamque, Aſiamque loquar, Libyenve peruſtam?
Europæ ſatis eſt in finibus. Illa Tonantem
Præ reliquis (nec enim dilectior ulla) remordet.
Sed tamen è cunctis Europæ Belgica terris
Præcipue ante oculos, ſævo quam Marte tot annos
Fata per integrum prope vexant aſpera ſæclum,

Bel-

Belgica dives opum, ſævis exercita rebus,
Fœcunda ingeniis, cultu celeberrima morum,
Quæ, brevibus ſpatiis incluſa, tot ardua tollit
Vaſtorum monumenta operum, tot continet urbes,
Immenſi regina maris, quæ mille carinis
Diſſita diffuſi jungit commercia mundi.
Hanc inteſtinis odiis, hanc cædibus ergo
Et tandem vario dubii diſcrimine belli
Eximere eſt animus. Geticum Pater inde Gradivum
Exciri jubet, in mediis qui millibus ardens
Illinc Cæſareas aquilas & Norica ſigna,
Hinc durum Sueonem & velocem in prælia Finnum
Excitaſque Aquilone manus (quamquam aſperet undas
Acris hyems, nimiâque omnis nive terra laboret.
Tantus amor ferri) gaudens in mutua paſſim
Vulnera perniciemque immani voce ciebat.
Ut ſtetit ante Iovem (nec enim terrore movetur
Æterni imperii, rumpat quin protinus omnes
Ipſe moras) Quo juſſa vocant? Quid in aſpera fortes
Prælia trudentem, clamat, diſcedere cogis
Cædibus è mediis? Ecquid nova bella minaris
Gentibus? Ecqua manet noſtri ſecura furoris
Ulla ſuper regio, nullis quam perſonet armis
Noſter eques? ſic ille feroci voce tonabat
Infrendens impoſque ſui. Nihil illa Tonantem
Verba movent, nec pacem animi, quanquam horrida, turbant.
Sed leviter ridens placido ſic excipit ore.
Non huc te nova bella vocant. Satis arma per omnem
Impia circumfers magnis ſtridoribus orbem.
Te ratio diverſa, aliæ te ex ordine cauſæ
Appellant. Scis, quanta retro tot euntibus annis
Damna ferat, quantas patiatur Belgica clades,
Europæ decus, & noſtræ gratiſſima menti.
Hæc nunc, hæc me cura movet. Stat jungere dudum
Diviſos animos, almamque reducere pacem.
Hic quoque jam dudum poſt tot mala tempora ſævis
Mitius, & certæ diſcis te ſubdere legi,

Ex quo conſenuere odia, & Rectoris Iberi
In ſe audax omnes convertit Gallia ſolam
Irarum ſtimulos, laxiſque immittis habenis
Utrimque inſidiaſque, doloſque, & crimina belli.
Proinde omnes incide moras, & juſſa miniſtris
Da properata tuis: Nullum Diſcordia Belgis
Ferrum acuat, nullos ſtabulet Bellona jugales,
Nec nova frena Pavor, nec curribus aptet habenas.
Iſta ſecuturæ præludant ȯmina Paci.
Illa caput quaſſans, & lumina ſæva retorquens
Juſſa tamen magni peragit patris. Ocyus omnis
Exultat regio, cœlique hæc dona faventis
Præcipit. Ingentes jam ſponte reſidere turbas
Belga ſtupet. Sentit tacitos in pectore motus,
Et vix gaudia tanta capit, licet otia nondum
Enſis agat, fixis paries nec fulgeat armis.
Hinc procul extrema cœli regione remotam
Formoſam Genitor demittit ab æthere Pacem
Ad Batavûm fines, ubi turbidus æquore Nereus
Surgit; & oppoſitis fluctus illidit arenis.
Illa cava ſe nube tegens, felicibus auris
Vecta, levis mox Hagana ſuperaſtitit arce
Tectaque magnanimi gaviſa intravit Arauſî.
Ilicet innumeras volventem pectore curas,
Et totius onus patriæ cervice ferentem,
Attonito vultu, atque oculis hærentibus, ante
Contemplata Ducem, diſcuſſa nube refulſit,
Auguſtoſque novâ perfudit luce penates.
Tum ſic orſa loqui: Batavæ celſiſſima gentis
Gloria, quem virtus, quem longis cognita bellis
Dextera, quem duris toties exercita rebus
Vis animi, patrio feſtinant addere cœlo,
Accipe, quæ liquidas voluit me ferre per auras
Juſſa tibi Divûm genitor, cui deſtinat uni
Et decus & primos ſæcli melioris honores.
Ille opus immenſum, cui par nihil ulla dedere
Tempora, quo majus ſperent nihil improba vota,
Moliri te nunc parat auſpice. Prima parenti
De-

Debita libertas patriæ, quæ vindice tali
Finitimos inter caput extulit. Ille perenni
Conſilio, & duris ſecuram præbuit armis.
Proxima laus Fratris, cujus virtutibus hæſit
Firmius imperii fatum, qui milite forti
Hoſtibus inſurgens terrorem incuſſit, & inde
Oſtendit populo dubiæ modo ſigna quietis.
Te nunc, ſumme Ducum, poſt nomina tanta potenti
Parta manu, titulis nec conceſſura paternis,
Nec fratri, longe innumeris potiora triumphis
Fata manent. Tibi poſteritas, Tibi magna Dearum
Illa Ego, ſidereos inter non infima cœtus,
Prima novi, quod nunc terris ſuperimminet iſtis,
Fundamenta boni debere fatebimur ultro.
Nunc tibi quæ peragenda prius (nec enim ordine nullo
Confieri res tanta poteſt) adverte, monebo.
Proxima Belgarum populis, conjuncta Tubantum
Finibus, ingentes aperit Germania ſaltus.
Illic Saxonicis longe celeberrima terris
Urbs antiqua jacet, primam quam maximus olim
Carolus Inſubrum referentem nomine ſedem,
Inde Monaſterium, victo cum Saxone vecors
Pulſa ſuperſtitio & pietas invecta, vocavit.
Illa tot illuſtres animas rerumque capaces
Ponderis immenſi, quas litore Cæſar ab Iſtri,
Quas procul Herculeis tranſmiſit ab uſque columnis
Heſperiæ dominus, quas Gallia dives, & orbis
Miſit Hyperborei gelidis à finibus Arctos,
Totque alios, quo quemque vocant, ſua juſſa ſecutos
Continet, afflictis cupiant ſi Numina rebus
Conſulere, & tanto tandem aſpirare labori.
Nil tamen aut curis longis, aut hactenus actum eſt
Conſiliis, lites diſcordia ſæva retexit,
Atque alia ex aliis odiorum ſemina ducit.
Soli abſunt (cunctis hæc una querela) Batavi,
Queis ſine nulla ſalus, nulla eſt ſperanda potenti
A Superis medicina malo. Quid vota morantur
Publica? Quid tantâ pro ſpe tentare recuſant?

Quos poſſunt adhibere modos? At tædia certe
Bellorum dudum populo venere feroci,
Plurimaque æthereas penetrant ſuſpiria ſedes.
Tu potes eloquio duras inflectere mentes;
Verborum rerumque fides tibi plurima ſoli
Contigit. Agnoſcant proceres ſua munera veſtri.
Hæc mandata Jovis. Volvunt ea fata ſorores.
Talia flexanima poſtquam Dea voce locuta eſt,
Protinus in cœlum niveis ſe ſuſtulit alis,
Et late ambroſium fugiens diffudit odorem.
At vero Superûm monitis fortiſſimus Heros
Excitus ad Patres properat perferre Batavos
Juſſa Jovis ſummi, blandæque accommoda paci
Conſilia. Immenſo finem adventare labori,
Et ſperata diu tranquillæ gaudia vitæ
Belgarum populis, emoto pectore volvit,
Et tacitos dulci perfundit imagine ſenſus.
Ille quidem dubiis toties exercitus armis,
Adverſoque manu non una ex hoſte tropæa
Rapta ferens, potius Martem & crudelia velle
Bella videbatur placidæ præponere Paci.
Vincit amor ſed enim patriæ. Scit mitia poſci
Tempora, nec ſpoliis nec vi nec cædibus ultra
Nunc opus, aut fatum libertatemque ſuorum
Talibus auxiliis, fratrum vel egere ruina.
Ergo juſſa facit. Attenti dicta loquentis
Excipiunt Proceres, & qui melioribus apti
Conſiliis, & qui rebus conducere noſtris
Bella magis rebantur, ut eſt ſua cuique libido,
Atque hinc inde trahunt dubias diſcrimina mentes.
Poſtquam certatum ſatis eſt, pars utraque tandem
Unanimi voto conſentit, ut ordine ab omni
Magnam Oratores lecti mittantur ad urbem
(Urbem Saxoniæ veteris caput, undique quo jam
Miſerat eximios ſolers Europa miniſtros)
Qui primos tentent aditus, &, quæ via factu
Tuta ſit, explorent, qua conditione quietem
Reddere ſolicitis regni dominator Iberi

Bel-

Belgarum cupiat populis. Tum lecta Senatus
Nomina, majorum longis illuſtria ceris,
Octo magnanimi Heroes, quos patria fortes
Sæpe domi, ſæpe externis agnoverat oris,
Sive manu, ſeu conſilio peragenda potenti
Iuſſa forent, audent immenſæ pondera molis
Suſcipere, optatæque vias tentare quietis.
Tempus erat, vinclis quo bruma tenacibus undas
Strinxerat, & terram canâ nive ſparſerat omnem.
Sed neque ventorum rabies, nec frigora ſæva,
Ulla nec adverſi movet inclementia cœli,
Quin per inacceſſos nivium veſtigia montes
Ponere, quin rigido per aquas Aquilone gelatas
Ardua & inſtantis virtus ſecura pericli
Tendere ſuſtineat. Tales ad mœnia paci
Sacra tot annorum veniunt poſt bella Batavi.
Jamque propinquabant vicinæ turribus urbis,
Cum pater effuſæ viſurus gaudia gentis
Flammiferos Titan oſtendit ab æthere vultus.
Attonitæ rubuere nives, & luce coruſca
Flamma micans vitreis innoxia luſit in undis.
Ipſa videbatur, nimborum oblita ſuique
Temporis, inſolito Natura niteſcere cultu.
Quæ fuit illa dies! Quam lætis illa refulgens
Ominibus! Quanto reſonabant compita plauſu!
Cum lecti proceres, populi decora alta Batavi,
Nobilium ſtipante manu, turbaque ſequentum,
Saxonicos fronte auguſtâ ſubiere penates!
Totaque ſe tectis Reſpublica condidit illis!
Nulla ſuos uſquam tenuit domus. Exilit ætas
Segnior: amiſſas reparant ſua gaudia vires.
Non Aquilo infantes cohibere nec aſpera poſſunt
Frigora, nec ſexus matres nec cura ſuorum
Ulla movet. Longo veniunt examine cives,
Vixque per obſtantes iter eſt feciſſe catervas.
Nec nox ipſa poteſt feſtum ſedare tumultum.
Inde, ubi parva quies primum conceſſa, potentum
Legati adveniunt certatim, & læta labori

Digitized by Google

Omina venturo verbis gratantur amicis.
Præcipue procerum Princeps procerumque ſenatus;
Quos penes arbitrium Pacis, queis jura loquendi
Contulit occidui Regnator maximus orbis,
Innumeris cujus diffuſa potentia terris
Nunquam ſole caret, cujus dignatur honori
Indulgens natura novos producere mundos.
Poſtquam accepta ſalus & reddita venit utrimque,
Sanguinis antiqui columen Bracamontius Heros
Talia facundo breviter ſic rettulit ore:
Quanta diu in noſtros tempeſtas concita Belgas
Sævierit, dirus dederit quot funera Mavors,
Non gens ulla ſuper, non eſt quæ neſciat ora.
Vobis debetur patriæ defenſa tot annos
Libertas, & nos aliquid pro Rege ſociſque
Geſſimus, & nobis virtutum exempla ſuperſunt.
Quid ſtruitis? Veteres quo tandem extenditis iras?
Anne, ſolo æquatis dum vomeris imprimat unci
Urbibus inſolitum dentem gaviſus arator,
Continuare odia, & bellum exercere juvabit?
At nos, ſi qua placet melior ſententia vobis,
Annuimus. Rex ipſe probat, nec pacis inire
Pacta, nec indignâ ſub conditione, recuſar.
Hæc ubi dicta dedit, blando ſermone Batavi
Excipiunt proceres: Non belli inſana libido
Hoc perſuaſit iter. Nec nobis tanta quietis
Inſedere odia, ut virtute aſſerta manuque
Hactenus auſpicio nolit meliore tueri
Publica libertas. Et nos communia tangunt
Damna, fatigatis dudum incumbentia terris.
Et nos fata movent. Procul hinc inſana nocendi
Conſilia, atque animis reliquæ crudelibus iræ.
Dum ſecura quies, poſſint dum tuta renaſci
Otia, quis dubii malit certamina Martis?
Illa diu populis Belgarum incognita, cœli
Delicium, telluris amor, Pax aurea leges
Accipiat, noſtras dignata reviſere ſedes.
Vota Batavorum ſunt iſta noviſſima Patrum.

Tali-

Talibus atque aliis poſtquam ſermonibus alto
Præluſere operi, jungunt ex ordine dextras,
Quas in perniciem alternam atque in mutua nuper
Vulnera adhuc animi vecors armaverat ardor,
Queis nunc pro gladio calamum, pro triſtibus armis
Ferre dedit placidæ ſacranda volumina paci
Sors melior, tanto finem impoſitura labori.
Nulla minas præfert facies, nec mentis acerbæ
Signa truces portant oculi, ſed amæna relucent
Gaudia, nec dubia condens ſe fronte voluntas
Irrita felicis ſpondent primordia cæpti.
Quid non perficiant, quæ non obſtacula rumpant
Ingentes animæ, quoties conſpirat in unum
Utraque pars finem? ſua nec promiſſa retractat,
Nec mille effugia & menti contraria quærit,
Unde moræ ſurgant operi, rurſumque recedens
Effluat ex oculis viſæ modo pacis imago?
Quid morer? exiguis quid pergam inſiſtere rebus?
Vix medium Phœbi lux alma peregerat orbem,
Jam prope parta ſalus, prope condita pacta quietis,
Et pars exigui tantum ſuperanda laboris
Reſtabat. Sed enim tantâ dum mole Batavi
Invigilant proceres, nondum fera ceſſat Erinnys.
Illa caput tollens ſævarum à ſede ſororum
Aëra in oppoſitum levibus ſe ſuſtulit alis,
Belgarum impendens populis. Tum flamine diro
Luridus infecit vicinas halitus auras.
Senſit humus circum, ſenſerunt flumina, ſenſit
Indignata gravem pulchra Oceanitis odorem,
Inque ſinum cani fugit turbata parentis.
Hinc pice flagrantem, multoque bitumine pinum,
Quam Phlegethontêis ipſa ante accenderat undis,
Protinus injecit terris Dea torva Batavis.
Illa volans late ferali luce refulſit,
Afflavitque animos, queis almæ inviſa quietis
Conſilia & dubiis melior fiducia rebus.
Ergo exaudiri fremitus, magnaſque per urbes
Jactari immodicus vario certamine clamor,

Pacem incuſantum & rurſum aſpera bella cientum:
Siccine poſt dubii tàm longa pericula Martis
Perdimus imperii vires, pretiumque laboris?
Proh pudor! Et veteres tandem (quis credat?) Iberi
Invenere fidem? Sic nota exempla parentum,
Protinus & priſcas animis excuſſimus iras?
Arma tamen certe nunquam ponenda, priuſquam
Ultimus Hiſpani procumbat nominis hæres,
Et gens quæque ſibi ſpolium de corpore tanto
Sumat, & afflictos hoc funere vindicet orbes,
Juratæ pepigere manus. Quo priſca receſſit
Gloria? Quo virtus animis innata Batavis?
Scilicet armorum dum circum æterna ſonabunt
Claſſica, dum patrio palabit limite miles,
Nos ſecura domi, ſeroque pudenda nepoti
Otia ducemus? Gelida concurret ab Arcto
Inde manus Sueonum, longoque examine Cattus
Saxonicos late incumbens populabitur agros?
Hinc bellatoris deſcendent agmina Celtæ,
Totaque Pleumoſiûm gens ad jam nota tremiſcet
Fulmina? Nos animæ viles inhonoraque turba
Securi tantos ſpectabimus undique motus?
Interea, quocumque ferat victoria greſſum,
Par erit exutis bello metus, armaque vertet
Victor in inviſos lætâ jam ſorte Batavos.
At vero ignotos primum, tantoque latentes
Tempore bellipotens protraxit in æthera Mavors,
Ille ſibi vires prope diffidentibus, ille
Robur & ingentes animos dedit. Ille potenti
Oppoſuit ſolos (& erat tunc major) Ibero,
Et ſtabile imperium mediis erexit in undis.
Auſpiciis iiſdem, quod condidit, ille tuetur
Hactenus, & dextrâ perget felice tueri.
Talia jactabant. At non inſana Batavos
Dicta movent patres. Quanto majore tumultu
Arma truces poſcunt animi, tanto acrius illi
Invigilant. Par cura viris. Mens inde medendi
Una malis. Ratio, non vis adhibetur ab omni
Par-

Parte, nec invitis amor eſt imponere leges.
Sed neque magnanimi mens provida ceſſat Arauſi,
Qui ſenio quamvis fractus, totoque fatiſcens
Corpore, non ceſſat tantis ſe impendere rebus.
Teſtis erit, populoſque fidem diffundet in omnes
Belgica, inexhauſtos nunquam oblitura labores.
Ille quidem nondum perfectâ pace receſſit
Ad patrios manes: ſic invida fata tuliſtis.
Et ſeſe nimium cupientibus addidit aſtris.
(Sive hæc ira fuit Superûm, qui tempore tali
Depoſiti uſuram tanti invidere Batavis,
Ut ventura recens miſceret gaudia luctus:
Seu moti meritis invicti Principis, illum
Jam viſæ primum voluere occurrere Paci,
Et placuit tali congreſſu dignior æther)
Attamen æternum cæpti felicis honorem
Illi poſteritas & non invita rependet,
Parſque operis potior ſeſe debere peracti
Nunc quoque defuncti curis agnoſcit Arausî.
Hic mihi felicis momenta noviſſima vitæ,
Et patriæ nec adhuc vicinâ morte labantem,
Et nunquam à patriâ disjunctum Pacis amorem
Fas fuerit ſæclis commendaviſſe futuris.
Poſcebant jam fata Ducem, nec jam ulla ſalutis
Spes humana ſuper, conſumtaque vota Batavæ
Gentis erant. Ipſe intrepidus, mortiſque propinquæ
Securus, lacrimas hilaris ridere ſuorum,
Et conſolari attonitos, ſoluſque videri
Expers eſſe mali, nullos ſentire dolores.
Stant mæſti circum proceres, & pulcher Iulus
Spes patriæ, magni fidiſſima cura parentis,
Et Nurus, & Conjux, & dulcia pignora Natæ.
Ille mori certus (nec enim mora longa dabatur)
Colligit ingentes animos, atque ultima vitæ
Advocat auxilia, & placido ſic pectore fatur.
Cuncta equidem, quæ mens ingentibus excita votis,
Sed patriæ devota ſuæ, ſed conſcia recti
Ambiit, obtinui. Sciet agnoſcetque merentem

Po-

Poſteritas. Sciet ipſe hoſtis non vana locutum.
Hanc libertati ſciet impendiſſe Batavæ
Haud indignam animam. rerum nec cura mearum
Ulla prior. Superos & conſcia ſidera teſtor.
Quamvis & thalami multum felicis honore
Addiderint generi non invida Numina noſtro,
Votaque magnorum toties fruſtrata procorum
Regia Naſſavias agnorit filia tædas,
Et mea, ſollicita cupii quod mente, Loïſa
Gaudeat invicti ſociata propagine Brenni.
Hoc tamen, ô Superi, votis ingentibus unum
Defuit (haud injuſta queror) ſuccurrere tandem
Gentibus afflictis, almamque reducere Pacem,
Si ſatis irarum conſumpſimus, & ſuus altis
Finis adeſt odiis, nec res ingloria noſtras
Fama per adverſas acies & bella ſecuta eſt.
Armorum ſi cauſa perit. Nec enim illa tot annos
Concutimus fruſtra; totumque accendimus orbem.
Nec laudúm vel primitias, vel, Nate, triumphis
Præripio tibi materiam. Ne crede capacem
Invidiæ. Dabit arma dies, & pandet honori
Fama viam, quo me liceat ſperare minorem,
Et patrius ſic poſcit amor. Ventura quid ultro
Supplicia, & Superûm meritas arceſſimus iras?
Vos modo, conſiliis quorum ſtat fixa labantis
Cara ſalus patriæ, quos his fortuna reſervat
Muneribus, Vos unanimes in fœdera gentes
Mittite, Vos ſolidis Martem vincite catenis.
Nec propior cæptis aberit Deus. Adſit avitæ
Libertatis amor, ſociataque pectora numquam
Diſſociabilibus jungat concordia vinclis.
Talibus auſpiciis paulatim ab origine prima
Auſa ſibi nondum libertas fidere crevit.
Viribus hinc auctis ſola inconcuſſa potenti
Reſtitit Heſperiæ Domino. Mox fortior ultro
Exiit, & domitas adjecit finibus urbes.
Hæc fatus blandis poſtremum infunditur ulnis
Dilectæ Æmiliæ; cariſque dat ultima natis

Oſcu-

Oſcula, & amplexis manſurum inſpirat amorem,
Æternumque vale mæſtis ſuperaddit amicis.
Et jam tempus adeſt, & jam vitæ ultima Parcæ
Fila legunt. Mors ipſa Ducem mirata ſuaſque
Tantum poſſe manus, paulum modo ſubſtitit, & ſe
Indoluit cogi, facinuſque invita peregit.
Tene ergo, Dux ſumme, tuis, cum tanta veniret
Dona ferens, potuit ſors invidiſſe Batavis?
Ne ſolidam pacem, ne gaudia noſtra videres
Curis parta tuis? Tua ne mox tempora circum
Palladiæ lauris immiſcerentur olivæ?
Sed tamen immenſo vetat indulgere dolori
Ille tuus ſanguis, tanti digniſſimus hæres
Nominis, excellens patriæ virtutis imago.
Ille tui optatum ad finem monumenta laboris
Jam perducta videt, fructu jam gaudet amati
Ille boni. Nec ſiderea tibi ſede recepto
Grata magis noſtro veniunt ſpectacula mundo.
Sed neque Pleumoſiæ deſunt ſua funera genti.
Hinc debebatur noſtræ quoque victima paci.
Ille tuo imperio votus, tuus ille ſacerdos,
Ante tuas aras, ipſâ Mimigrodis in urbe,
Diva, truci fato rapitur Berganius. Ille
Sic etiam pretium curarum perdidit. Illum
Non pia ſimplicitas, animi non candor honeſti,
Non antiqua fides valuit ſubducere letho.
Illum Moſa pater, fractis & cornibus ingens
Scaldis, cum duplicis fleverunt flumina Rheni,
Et patrio mœſtum cecinerunt litore carmen
Pleumoſides Nymphæ, tali quæ vindice tandem
Ocia ſperabant fracto ſecura tumultu.
Jamque iræ ceſſere Deûm, pavidamque fugavit
Tartarei ad ſedem rurſum rectoris Erinnyn
Vincla novo populi ſtringens concordia nexu.
Nulla mora in Batavis. Repetunt commercia fandi
Intermiſſa diu manſuraque fœdera firmant.
Ilicet Heſperiam propere legatur ad aulam
Qui pacis leges & pacta noviſſima monſtret,

Inſolito, & tantos propera memorare triumphos,
Quos ſcelerum immunes & nullô ſanguine fuſo
Rettulit expulſo gens utraque læta Gradivo.

AD
PACEM,

Ut, conſtituta jam in Belgio quiete, reliqui etiam Orbis Chriſtiani miſereatur.

Diva, concuſſam nimium tot annis
Marte crudeli miſerata gentem,
Læta quæ nobis meliore ducis
Sæcla metallo,
Si quid à tanto ſupereſt favore
Belga quod poſſit ſibi polliceri,
Hæc quoque ô tandem rata ſint tuorum
Ultima vota.
Perfice inceptum, Dea magna, munus.
Redde ſperatam populis quietem.
Limes hinc ſævis ſit & inde Belgî
Tutus ab armis.
Jungat infeſtos amor inde Reges
Mutuus. Fracti coeant Britanni.
Stringat Arctoi ſubolem Gradivi
Fœdere Cæſar.
Miſceant ſævi ſine bella Perſæ.
Thraces adverſus gladientur armis.
Dirus armorum furor Othomanna
Regnet in aula.
Uſque quo turpes Aſiæ Tyranni
Triſtis Europæ jugulo iminebunt?
Uſque quo noſtris odiis fruetur
Barbara pubes?
Non vides, quantis agitetur undis
Urbibus quondam celebrata centum

Creta

Creta, nequicquam male vagienti
Nota Tonanti?
Cernis, ut paſſu tumidus ſuperbo
Ambulet victor? domitæque gentis
Jura ſervili properet pudenda
Imponere collo?
Junge communem populos in hoſtem
Cauſa quos jungit melior, nec ultra
Mutuas clades patere, ô labantis
Deſtina mundi.
Solve nos juſto nimium timore.
Ultimam Europæ prohibe ruinam.
Thracio tantum madeant tuorum
Arma cruore.

URBI TRAJECTINÆ

cum lectiſſimi juvenes

CORNELIUS DE BEER, THEODORUS MERKERK, GERARDUS STROUCK,

JCtorum ordini in Patria Academia publice inſererentur a Cl. Viro

D. ANT. MATTHÆO J. V. D. ET PROF.

Die VI. Eid. Febr. M. DC. XLII.

ÆTerna magni mœnia Cæſaris
Et æmulantum viribus altior
Antiqua Trajectum per arma
Finitimis metuenda quondam,

Nunc

Nunc alma poſtquam Pax rediens ferum
Centum catenis implicuit Deum,
Suiſque late Diva veſtros
Muneribus populos beavit,
Ingens patrimæ gloria virginis,
Nutrix bonarum nobilis artium,
Arx Delii non mentientis
Hoſpitium profugis Camœnis
Quàm vera Pallas, meta ſcientiæ
Ultra profanas ſpes hominum ſui
Evecta cœli tam faventis
Nobile depoſitum ſacravit.
Exurge tertis vilibus altior
Flos Belgicarum nobilis urbium:
Inter ſupremas abde nubes
Te procul æthereaſque ſedes.
Hic Eruditi gloria nominis
Summo triumphi ſtat tua tramite,
Dum laureis circum corymbis
Ter meritum caput impediris,
Videsne ut altis vecta jugalibus
Aſtrea ſedes reſpiciat ſuas?
Quàm juris hinc illinc periti
Mille ſimul ſimul hinc ſequantur?
Cerno Matheum juris & ardui
Antiſtitem æqui, juſtitiæ decus,
Doctrinæ abyſſum continentis
Omnia, quæ ſpatiis profundis
Involvit æther. O jubar inclytum
Et ſumma noſtri gloria ſæculi,
Sero repoſcentem paternum
Æthera te videant Batavi!
Cerno catervam pone ſequentium,
Quos altioris conſcia gloriæ
Exemit è vulgo profano
Mens genii generoſioris.
Pares juventa, judicio pares,
Pares peractis rite laboribus,

Pares merendo. Leyda novit
Et patriæ propiore vultu
Videre Muſæ. Vidit & alveo
Pater minorum maximus amnium
Quondam ſuperbus pleniori.
Vix decoris monumenta tanti
Ultra ſuperſunt. Sic variat vices
Fortuna certæ neſcia regulæ.
Sic illa fatorum rotatur
Orbita continuo meatu.
Quo me morantem, Beriade, vocas
Æqualitatis arbiter aureæ!
O laudibus nunquam tacendi
Æmule nominibuſque fratris!
Cerno timentem nil Merikerkium,
Quem jam fatiſcens dextera, limite
Fati propinquo, doctiorum
Inſerit ordinibus virorum.
Nec tu mearum, docte, taceberis
Snoecki, Dearum laudibus, imputant
Cui multa patroni reorum,
Plura cui reus imputabit.
O ſacra Divæ pectora maximæ,
Lectiſſimorum triga ſodalium,
Quos unus ardor, una virtus,
Una ſimul Dea copulavit.
Vobis honores gratulor & decus
Et digna tantis præmia laudibus,
Per quas paterni fert Lycei
Gloria ſe ſuperas ad auras.
Sic æmulantum cogitur urbium
Urbi paternæ cedere gloria
Et confiteri ſe minorem;
Tres Themidi ſimul una donat.

GIS-

GISBERTO HAMELIO.

Cum J. V. D. *crearetur.*

FElix Hameli, quem prius profanatis
Expulſa terris, nunc reducta, nunc noſtro
Donata cœlo, præſens & parens æqui
Sublimiores inter aſſerit mentes
Certoque tutum Diva ponit in portu:
Non te protervo perculit Deus thyrſo,
Quem victus Indus, victus horruit Ganges,
Liber protervus, Liber inverecundus.
Non te ſalaci Divâ lumine allexit,
Laſcivientis quæ Cupidinis mater,
Veſanientes pectori incutit flammas
Illex ſuavis & nocentior quavis
Sirene Siren, Scylla naufragæ menti.
Non tu Vacunæ mancipatus imbelli
Et indecori degis otii cultor.
Hæc una mentes cura deſides vexet,
Quas viliori finxit e luto Titan,
Vulgus profanum. Præter hi ſuam degunt
Proterque vitam non laboribus fracti
Juſtiſque curis, uniceque ſecuri,
Quo pes feratur, ſive pronior Phœbus
Caput profunda mergit aureum Thetis,
Sive ominoſam luce diſpulit noctem.
Felix Hameli! tu tot invios ultra
Molitus orbes, nunc ineptias mille
Vanique rides inficetias vulgi.
Sic Diva vindicavit igneam mentem,
Quæ prima normam regulamque vivendi
Præſcripſit olim, cum rudes & incultæ
Olim ferarum more degerent gentes.
Hæc Ulpiani Scævolæque rubricas
Et quicquid ingens tradidit Modeſtinus,
Quod ſenſa Pauli, quod Trebatii ſcita
Et eruditi charta continet Servî,

Tranſcripſit uni, quicquid Imperatorum
Sacrata quondam conſtitutio ſanxit.
Quæ jura data ſint ultimæ voluntati,
Imbellis ætas quid minoribus proſit,
Quid poſſidenti conferat fides æqua,
Iniqua demat; quæve jura vicino,
Si forte fumum deſuperve ſtillantes
Depoſcat undas, pignoris quis effectus,
Quis emptionis, quid probatio poſſit,
Perfecta nondum pleniuſve probata.
Talem Lycæum nobiliſque Lugdunum
Omniſque talem te Batavus agnovit.
Talem tot alii, quos ab ultimis terris
Suas in oras excitat alma Lugdunum.
Sic teſte patria jam probaris & mundo,
Nec in tenebris & receſſibus tantas
Dotes recondis, opprimiſque virtutem,
Quæ merſa vili vix inertia diſtat.
Sic orbe patriam teſte dotibus tantis
Virtutibuſque debitam capis laurum,
Quam juris anteceſſor ille Romani
Themidoſque cuncta pervidentis antiſtes
Fert conſecratam Vinnius tuæ fronti.

JOHANNI DEDELIO J. F.

Ampliſſimi Senatoris de fideicommiſſis & Trebelliano diſputanti.

QUi jura dextræ ſcripta jam fatiſcenti,
Jam palpitantis ultima voluntatem,
Fidem coactæ liberam voluntatis
Et deminutæ portionis hæredem
Tranſcribis ævo, dum ſagacior cunctis
Normam æquitatis lance pendis exacta,
Ipſumque Baldum, Bartolum, tot ingentes

Tuum

Tuum ad tribunal, Jane, ſiſtis Heroas,
Decus Batavæ maximum juventutis,
Et æmulator nominum paternorum
Scientiæque maſculæque virtutis,
Sic occidenti jura dexteræ dicis,
Ut illa proſint omnibus, tibi nunquam.

THEODORO VERBURCH

De mandato diſputanti.

HActenus ingratis virtus oppreſſa tenebris,
Et prope jam latebris tota ſepulta ſuis
Surgit,& ignotæ meditans oblivia vitæ,
Dum ſolida majus mente revolvit opus,
Dediſcit privata loqui. Sic publica tandem
Nomina vult, fama jam comitante, ſequi.
Sic tua, Verburchi,ad patrium ſolertia cœlum
Et procul à vili ſidera tendit humo.
Sic tua defendit Latias facundia leges
Obrutaque innumeris jura voluminibus,
Quæ Juſtiniades, quæ docti dextra Tribonî
Legit & in numeros juſſit abire ſuos.
Sic præit exhauſti nunquam Mæſtertius oris
Ingenii rutilam prætulit ille facem,
Qua face dum Themidem luſtrat Batavamque Minervam
Non metuet tenebras illa vel illa ſuas.

REGNERO VAN DER HEM

A NEDERSTEYN,

De mora diſputanti.

QUi meritis ſummam, juvenum clariſſime, gentem
Partaque per magnos nomina laudis avos
Jam dudum propriæ docuiſti cedere laudi,
Quantaque ſunt, meritis eſſe minora tuis.

Quid petis à vili Permeſſia munera plectro,
Munera cultori non ſatis æqua ſuo?
Cum Dea juſtitiæ præſes Themis ipſa loquatur
Et famulas ſatius crede tacere Deas.

JACOBO HARINGIO

De homicidio diſputanti.

SAnguine manantes gladios ſicamque nocentem
Nec bene concordi funera facta manu
In ſcenam innocuo producit Haringius auſu,
Et juſto eloquio flebile damnat opus.
Adſtat & ultrices vibrat Cornelia virgas
Supplicium meritis triſte minata reis,
Vindiciiſque aſſerta tuis incognita dudum
E tenebris merſum tollit, amice, caput.
Sic debet pax noſtra tibi. Sic funera ceſſant
Vulneràque auctori pernicioſa ſuo
Dii! melius noſtros eadem ſerventur in hoſtes!
Hoc minus eſt uno crimine ſica nocens.
Innocuas lites tantum permittimus, ultra
Quod ſupereſt totum ſentiat unus Iber.

DANIELI FANNIO

Cum poſt diſputationem de collationibus J. V. D. crearetur.

DUm diſcrimina juris involuti
Ore Fannius explicat diſerto,
Quo ſtat vindice tuta liberorum
Patrum portio deſtinata votis,
Et leges caput altius ſepultæ
Audent tollere, dum patronus æqui
Rerum pondera lance librat æqua
Ne diſcordibus evagentur iris
Et triſtes veniant ad arma fratres,
Dum juſtam pius eruditioris
Cauſam gentis agit ſcientiarum †

Quæ

† *Arg. Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.*

Quæ totum face pervagatur orbem.
Sacrati Dea præſes Juris,
Quna nunquam tibi *Conferantur* inquit
Docti præmia *Confero* laboris.

ANDREÆ ET FRANCONI VANDER GOES

Cum J. V. DD. *crearentur*.

GOeſiadæ fratres, animi quos mutuus ardor
Degeneres nunquam juſſit inire vias:
Sed juſſit majora ſequi, nec honoris egentes
Et decoris vilem ſerpere propter humum.
Sed Divæ præcepta ſequi, quæ fixa per ævum
Templa procul ſummi culmine montis habet.
Quo non imbelles animæ, non ſegnior ætas,
Non penetrat thyrſo ſaucia turba gravi,
Aut nimium caro lymphata cupidine pectus.
Templa bonis tantum mentibus illa patent.
Goeſiadæ fratres, tantorum meta laborum
Venit & emeritus tempora cingit honor.
Ipſa Themis jam ſponte ſuo deſcendit Olympo
Et propior luci maluit eſſe ſuæ.
Sic decuit Divam. Sed enim gratiſſima quamvis
Et minor & meritis ſerior illa venit.
Sed major laus inde venit, quod tempore longo
Debuerint meritæ cingier ante comæ.
Ardua contemnit vulgaria nomina virtus
Et titulis ſurgit altior ipſa ſuis.
Sponte ſua comitatur honos. Plus contulit illa.
Accipit hinc pretium gloria tota ſuum.
Quanta venit vobis, lectiſſima nomina, fratres
Sera licet veniat, gloria magna venit.
Et major ſimul illa venit, quo ſerior, ipſæ
Proſunt, quæ nunquam non nocuere, moræ.
Sic Dea quæ confert aliis ſua nomina, longè
Dignius à veſtro nomine nomen habet.

JOANNI VAN SOMEREN

Cum J. V. D. *crearetur.*

Viderat ingentes Someri Aſtræa labores
Legibus impenſos maxima Diva ſuis
Viderat & poſci jam digna laboribus illis
Præmia victrices implicitura comas;
Hactenus Aonides veſtros coluere penates,
Et pater à Phœbo duplice nomen habet.
Ultima felices conſummatura triumphos
A titulis veniat gloria parta meis,
Debeat hoc veſtris, Someri, penatibus, inquit,
Patria quod nulli debuit ante lari.
Si roget æger opem, medicas pater advocet artes,
Sentiet injectas jam libitina moras,
Sin humana minor fixo prudentia fato
Et conjurata fortius arte malum eſt,
Auſpice te jurisque ſui fatique ſuorum
Jam poterit certus poſt ſua fata mori.

CLASSIS HISPANICA
EXPUGNATA

Ductu fortiſſimi Heroïs

MARTINI HERIB. TROMPI

Maris Præfecti, M. DC. XXXIX.

Continuat lauros Batavus, rurſumque ferocis
Heſperiæ infringens Dominum, pugnare probavit
Pro cauſa meliore Deos. It triſtis Iberus
Incuſatque ſuis contraria numina fatis,
Ereptaſque aquilas queritur vexillaque dudum
Ad Batavos defixa tholos. Jam ponere diſcit
Ingentes animos, & inania verba recantat,
Deſperatque ſuis ſuccumbere faſcibus orbem,

Totque

Totque ſimul tantos populos, dum cruda tot annos
Bella gerit nequicquam, & in unâ gente moratur
Non ſpoliis Mavortis ovans, non tempora lauru
Velatus, meritaſque comas, ſed inertia turpi
Terga fugæ nudans, demtiſque inglorius armis
Victorem agnoſcens Batavum. Non mænibus altis
Fidit, & evectas oſtentat ad æthera moles,
Sed pariter terris artatur & æquoris undis,
Quaque movet circum Batavus fremit, aurea Mauri
Sceptra trucis calcans, infeſtaque tela repellens,
Autores ruitura ſuos. Hiſpanica pubes
Vidit, & obſtupuit parvas armare carinàs,
Et conjurato defendere numina cœlo,
Et Batavis pugnare ſuis. Germanica Tethys
Teſtatur noſtros mutata cruore triumphos,
Scutaque cum galeis, & tot fragmenta ruïnæ,
Corporaque ad Batavas volvit fluitantia terras,
Ut Mauros cecidiſſe probet. Devicimus hoſtem
Ante oculos, Rex magne, tuos, qui jura Britannis
Dividis, & triplicem jungis diademate gentem.
Tanto teſte ſuos gaudent auxiſſe triumphos
Victores Batavi. Nunc ô, ſeu nubila tranes,
Et cœlum volucri ſignes ſublime volatu
Fulmineis ſubvecta rotis, ſeu Theſſala Tempe
Heroum vinctura comas tibi ſerta miniſtrent,
Huc ades & Batavas intra Victoria terras,
Et ſolitos inviſe lares, aſſuetaque dudum
Limina, Diva, precor, vultu meliore ſaluta.
At, tu, qui Batavæ clariſſima gloria terræ
Inter honoratos frontem ſublimior effers
Semideos, ô certa maris tutela Batavi,
Et patriæ lux orta tuæ, dum perſonat æther
Laude tuâ, & feſtus circumſtrepit undique clamor,
Magne heros, faveas, & magnis annue cœptis,
Et, quæ Pieria legi de rupe recenter,
Martia Phœbeis miteſcant tempora ſertis.
Viderat infeſtis toties ſe incurrere fatis
In Batavos adverſus Iber, contuſaque ſceptri

Fulmina Cantabrici, & faſces cecidiſſe ſuperbos.
Ardet egens animi, & verſat ſub pectore flammas
Irarum attonitus. Qualis cum ſpicula ſenſit
Afra per arva Leo, depictaque membra cruore
Saucius infectaſque jubas, & vulnera vidit,
In præceps agitur, fatumque arceſſit, & ultro
Improbus in medias ruit imperterritus haſtas;
Haud aliter rabidi violentia gliſcit Iberi,
Scintillæ abſiſtunt oculis. Tunc ora reſolvit
Surdaque væſanis diverberat aſtra querelis.

Numina, Maurorum nunquam miſerata labores,
Heu votis minus æqua meis, ſi vertere regnum
Sedit, & immeritam de ſtirpe revellere gentem,
Cur Batavo bellante cado? Cur turba rebellis
Audet adoratas armis temerare tiaras?
Hic quoque (ſic viſum vobis? tanguntque beatos
Invidiæ ſtimuli?) ſpoliis exultat ademtis
Improbus, & noſtras ſuſpendit ab arbore criſtas.
Deletas Batavo claſſes, captaſque ſub ipſos
Heſperiæ portus vicino in litore circum
Attonitæ videre nurus, videre ſuorum
Funera, turbatoſque altâ de puppe maritos
Abſorberi undis. Quis formidabile neſcit
Heyniadæ nomen? Qui munera divitis Indi,
Advectaſque Orientis opes (proh! dira nefandæ
Gentis flagitia, & ferro flammiſque pianda!)
Abſtulit, & fulvi donavit velleris auro
In noſtram cladem Batavos. Clariſſima ſilva
Riſerat adverſas toties invicta procellas,
Nunc debellatas ſubmiſit victa ſecures,
Naſſavioſque auxit titulos, parilique ruina
Veſaliam involvit. Mavortia mœnia Bredæ
Ad dominum rediere ſuum, quæ vicerat anni
Longa fames, Indoque Ambroſius emerat auro.
Uſque adeone ſuas amiſit Iberia vires?
Formidet Batavos Rex, cujus jura veretur
Eurus, & occiduo ſubjecta potentia Phæbo?
Imus in adverſos? An nos infauſta retardant

Omi-

Omina, & irati facies aſperrima cœli?
Quin potius vires nobiſcum impenditis omnes
Gens ſceptris ſubjecta meis. Capite arma, manuque
(Auguria hæc, hi dii) ſceleratam excindite gentem,
Quæ, quid poſſit Iber, jam ſentiat. Ilicet omnis
Arma capit pubes, cœlumque horrentibus implet
Vocibus, & Batavis peſtem exitiumque minatur.
Ocyus allecti veniunt ad ſigna manipli;
Convenere rates, quas miſerat Itala tellus,
Quas Calaris, quas muniti capita alta Pelori.
Sic claſſem ingentem tumidus regnator Iberum,
Perniciem Batavis ſimul exitiumque futuram,
(Dii meliora piis!) immenſis ſumtibus ornat.
Solverat Hiſpano de litore navita funem,
Et centena ſuis turgebant carbaſa velis.
Gens inviſa Diis, Hiſpanæ ſordida plebis
Colluvies, vehitur, Batavoſque haurire cruores
Impia turba ſitit. Felicia flamina preſſit
Æolus, & vaſto clauſtrum ſuperaddidit antro.
Nereides fugere Deæ. Non cærula prata
Candida ſulcavit tenero Galatea natatu,
Sed ſubter vitreis flavum caput abdidit undis.
Non ſeſe in varias ſolitus mutare figuras
Emicuit Proteus. Fugit cum matre Palæmon,
Atque indignatus Mauras ſufferre carinas
Oceanus rapidas retro dedit incitus undas.
Quo ruis, ô peritura cohors? Non mille carinæ,
Non quicquid rutilis volvit Pactolus arenis,
Divitiæque Tagi, non fortia pectora bello
Proſunt, ſi ſummi favor abnuat ætheris. Ite,
Et forti jugulos iterum præbete Batavo.

Interea invigilat pelago, Neptunius heros,
Trompius. O nulli pectus virtute ſecundum!
Qui non fumoſis artaverat atria ceris,
Nobilitas illi virtus fuit. Acer ubique
Præſentiſque animi, ſiqua deprędere poſſit
Materiam laudis, vigil inſtat, & omnia vaſti
Scrutatur pelagi late loca. Laſſa ſopore

Membra vacant, adimitque inviſam cura quietem.
Iſque ubi fulgentes vidit per cærula puppes
Barbaricaſque acies, Maurique inſignia Regis
Biſſenis ratibus (credetis ſera nepotum
Nomina?) Suſtinuit tantæ ſe opponere claſſi;
Et ne quo trepidis fuga concedatur Iberis,
Diviſitque acies, hoſtiliaque undique cinxit
Agmina. Nunc, inquit, ſocii, nunc viribus uſus,
Advenit ſperata dies, qua ſentiat hoſtis
Plus Batavas ſe poſſe manus. Nunc Numina ſummi
Exorate poli. Juſtæ confidite cauſæ.
In nos libertas patriæ inclinata recumbit,
Hanc animis, fortique ſimul defendite dextrâ.
Sic ait, & motas obtorquet in agmina proras.
Audiit horribilis non una tonitrua pugnæ
Matriacus, ſociaſque rates adjunxit, & hoſtem
Innixus premit, ac multâ vi fervidus inſtat.
At vero ſocios raucis clamoribus urget
Trompius, accenditque Ducis præſentia pugnam:
Infert ſe in medios quà plurimus ingruit imber,
Brachiaque, abruptæque manus ſuper ora volabant.
Ipſe manu ſtrictum vibrabat fervidus enſem,
Exutus veſtem ſimul imbellemque pavorem.
Senſit victus Iber plus quam mortalibus armis
Seſe oppugnari; neque enim jam credere pugnæ
Audet, & infeſti formidat numinis iras.
Ilicet ad terras flectit ſua vela Britannas,
Naveſque in ſocios ſperat ſubducere portus;
Sed vetat infeſto ſua litora ſanguine tangi
Carolus, Hiſpanoſque ſuis à portubus arcet.
Inſequitur Batavus. Nunquam favor ætheris alti
Clarius emicuit, juſtæque potentia cauſæ.
Ocyus innumeras Regina Batavia naves
Præparat, imponitque viros, atque arma miniſtrat
In jugulos, Hiſpane, tuos, ne quæ inde ſuperſint
Reliquiæ Herois Trompi fortiſque Batavi.
Sed deerant ſummis felicia flamina rebus.
Protinus Æoliis Eurum dimittit ab antris
Ven-

Ventorum domitor, cujus ſpiramine vectæ,
Jungunt ſe ſociis Batavo de litore naves.
Quæ tibi tum mens, Maure, fuit? quantoque tremore
Pectora ſudabant? Cum te delecta juventus
Undique concluſum premeret, ſimul undique triſtis
Pallor, & inſtantis teterrima mortis mago?
At, Batavi tutela maris, Neptunius heros
Arma, Deoſque parat comites; ſtat vindice ferro
Obruere Hiſpanas acies, gentemque nefandam.
Ergo alacer plenuſque ſpei, fretuſque Deorum
Auxilio cupidas accendit voce cohortes;
Gens invicta manu ſemperque aſſueta triumphis,
Et toti dominata mari, cui mille tropæa
Porrigit, & fractos ſummittit Iberia faſces,
Nunc fatis accede tuis, ultroque vocantes
Ad pugnam ſectare Deos. Tibi cærula Tethys
Blandior electos gaudet ſubmittere fluctus
Certaque venturæ jam nunc facit omina laudis.
Quin agite hoſtiles junctis invadite claſſes
Viribus, & furias infringite triſtis Iberi.
Naſſavii cineres, indignaque pæna perempti
Principis, has pænas ſcelerato à ſanguine poſcunt.
Non anceps fortuna vocat, dubiique Gradivi
Alea, & incertos metuentia prælia caſus,
Sed circum lætis volitat Victoria pennis,
Muneribus comitata ſuis. Incumbite victis,
Ultimaque ad Batavas accedat adorea lauros.
Sic fatur, juvenumque animos jam ſponte ruentes
Incitat. Ut ſonipes quanquam jam frena relaxet
Seſſor & indomito volitet pernicior Euro,
Si tamen adverſo ſentit calcaria tergo,
Fertur in arva furens, & adauget vulnere curſum.
Unanimi pugnas igitur clamore laceſſunt,
Ut reboent vaſtas reſonantia litora voces.
Audiit, & gemitu traxit ſuſpiria longo
Triſtis Iber, ſed, quod potuit tamen, undique fractos
Cogit in arma viros. Stimulat commune periclum
Et deſperatæ vis militat ultima vitæ.

Tempus

Tempus erat, quo prima umbras Aurora reſolvit
Fulgidaque exoritur radiati nuncia Phœbi,
Cum primum roſeæ criſpantur in æquore flammæ,
Obſcuròque procul vaneſcit Cynthia cornu.
Jamque adeo provecta mari ſtetit utraque claſſis,
Quà pelagus Gallis Anglum diſterminat oris,
Litoraque anguſto dirimit confinia tractu.
Tum formidatas primum concurrere gentes
Gallia, & attonitus vidit de turre Britannus
Et Batavos plus poſſe Deos. Occurrit in hoſtem
Trompius, ingenti laudum ſuccenſus amore,
Roſtratamque ratem prætoria ſigna ferentem
Pone ſubit, tantæque facit primordia pugnæ.
Parte alia Batavum ducit Witenius agmen,
Hoſtili incumbens lateri, & retinacula ſolvens.
Inde alii ſubiere duces; tum plurimus imber
Telorum rauco circumtonat aera motu,
Obvia diſcerpens. Veluti cum fulmine ſævit
Jupiter, aut vulſas radicitus eruit alnos,
Aut Athon aut celſi ferit alta cacumina Pindi.
Obvolvunt oculos fumi. Convexa Tonantis
In præceps ruere, & terras operire putares.
Tum vero ancipiti pubes Hiſpana periclo
Circumventa fugam molitur, & æquora longè
Alta petit, tentatque inſtantem evadere cladem:
Non tulit hanc ſpeciem magni mens provida Trompî
Adverſasque rates trepidos direxit in hoſtes
Pronus, & infeſto circum latus aggere ſepſit,
Ne fatis devota ſuis, & ſacra ſepulchro
Victima Naſſavio, vanos eluderet ictus,
Collaque ſubtraheret vibratæ aptata ſecuri.
Imperio claſſem præſens ducebat Iberam
Oquendus, non indigni Mavortis alumnus,
Egregiique ducis potuit fortaſſe mereri
Nomina, ni Batavis alter jam partus Achilles.
Ille ubi ſpem cunctæ vidit ceſſiſſe ſalutis,
Inſtantesque minas, incumbentemque Batavum,
Non profecturo vacuum ferit aëra motu.

Fida

Fida cohors comitum, belliſque innata juventus,
Vos quorum arma timet rutili domus utraque Phœbi,
Vos Regi devotæ animæ, per ſidera cœli
Teſtor, & auguſtæ regalia cingula frontis,
Si quid adhuc animi reſtat ſuper, oraque nondum
Totus pallor habet: ſi vos reverentia ſceptri
Tangat ſopitoſque in pectore ſuſcitet ignes,
Nunc alacres, totiſque innixi viribus ite,
Perque aciem hoſtilem, quæ nunc circum undique frendet
Ferro aperite vias, aut pulcro occumbite letho.
Antiquos revocate animos. Ne deſere Regem,
Ne cauſam, gens, prode tuam, quam patria vobis,
Caraque ſacrati commendant pignora lecti,
Et paſſis thalami corſors ſua cuique capillis.
Primus ego caput hoc, Regi, patriæque meiſque
Devoveo. Cernet morientem cærula Tethys,
Aut ſpoliis inſignem, & lauru tempora vinctum.
Dixit, & invitis ſingultibus ora repreſſit,
Spem vultu ſimulans, & ſictâ fronte ſerenans.
Non feſtæ voces ingentia verba ſecutæ:
Infremuit pubes, & triſtia murmura roſit
Exitii præſaga ſui. Jam prælia circum
Inſtaurant Belgæ. Jam Luſitana triremis
Deſtituit medio vectorem in gurgite ponti.
Stabat acerba fremens, oculiſque furentibus ardens
Rector Acis, juſſuſque ſuâ diſcedere navi
Non ita degenerem me miſit Iberia, clamat,
Maſcula ut imbelles enervent pectora voces,
Infeſtâque manu telum contorquet, at illum
Immiſſus latè totis Vulcanus habenis
Deturbat, ſolvuntque ingentem incendia puppim.
Maure, jaces, tecumque minæ, totoque ſepultus
Æquore, purgatis arces contagia terris.
Parte aliâ rutilis radians Mezentius armis
Centauro invehitur magnâ. Cui caſſide Maurâ
Fulget apex, roſeæ nutant in vertice criſtæ;
Iſque, ubi ſe contra proram videt ire Batavam,
Procumbit paſſis veneratus numina palmis:

Undarum genitor, cujus ſub numine ſpumant
Flumina, & æquoreo ſubmittunt cornua ſceptro;
Exaudi, neque enim venio peregrinus & hoſpes,
Et noſtras admitte preces; ſi purus & inſons
Libavi toties, & Bacchica munera fudi
In veſtros, pater alme, focos, toties que Sabæis
Conſecrata tibi fumavit odoribus ara.
Haud indigna peto. Tantum modo dedecus armis,
Alme pater, depelle meis, ne victus ab hoſte
Abſtrahar, & Batavi oſtendar pars una triumphi,
Hoſtilemque ratem, quæ jam aſtrictura lacertos
Vincla parat, da præcipiti ſubvertere caſu.
Sic tua cum rabidi perturbant æquora fratres,
Eurique, Zephyrique tuo ſine numine peccant,
Protinus aufugiant, repetantque immania clauſtra
Imperio cogente tuo. Nec regna tridentis
Cærulei moderante novo Phäetonte jugales
Phœbæi accendant, cœloque remotior abſit.
Ipſe ego, cum patrias inviſam victor ad urbes,
Templa tibi æternaſque aras, ignesque ſacrabo,
Si tua me tanto damnent modo numina voto.
Audiit, & partem voluit Deus æquoris alti
Eſſe ratam; partem procul abripuere procellæ.
Ut ſubitam navis ſentiret noſtra ruinam,
Annuit; ut tantas clades évaderet unus,
Non ſivit votiſque ſuis abſolvit Iberum.
Ergo, ubi roſtra ſimul crepuerunt obvia roſtris,
Non expectatis conſumitur undique flammis
Cincta Batava ratis. Sed vinci neſcia puppim
Deſeruit pubes, ſeque in vada nigra profundi
Præcipiti miſit ſaltu, ſociaſque carinas
Audaci aſcendit per mille pericla natatu.
At non paſſa diu noſtris illudere fatis
Victorem vindex Nemeſis. Sed proxima circum
Latius ultrices ſpargunt contagia flammæ,
Parvaque contiguos mutavit gaudia luctus.
Illum exultantem ſummâque in puppe ſuperbum,
Mox circumfuſi vis undique corripit ignis.

In

I nunc, & propriâ tales eme clade triumphos,
Et Batavum truncis affige amplustre tropæis.
Quis cædem Hiſpanæ pubis, quis funera fando
Explicet? aut tantas exæquet carmine clades?
Infeſtas acies primum concurrere vidit
Phoſphorus, atque idem mutato nomine ſerus
Nondum compoſitas conſpexerat Heſperus iras.
Turbatis paſſim ratium tabulata teguntur
Corporibus, Mauro mutatur ſanguine Nereus
Decolor, ingentique labant ſub pondere Nymphæ
Nereides. Stat Maura ratis, vaſtumque cacumen
In nubes infert. Vix illam culmine veli
Tangit noſtra ratis. At cedere neſcia virtus
Sternit iter, ſcanditque altas interrita rupes.
Nititur in culmen Batavus: nil ſpicula curans
Deſuper injecta, & vani conamina Mauri,
Saxaque durato ridet cedentia tergo.
Cedit Iber, præbetque manum victricibus armis,
Et ſe fortunâ vinci majore fatetur.
Haud aliter, domitum ſceptris qui ſubdidit orbem
Pellæus invenis; pleno quem tota vetuſtas
Ore canit, celebrantque æterna volumina chartis,
Rupis inacceſſæ prærupta cacumina ſcandit,
Hoſtiles fœdans latebras: at gloria diſpar.
Venerat antiquâ repetens ab origine gentem
Ora Lycas primâ circum lanugine ſignans
Infelix puer infelici ſidere in auras
Editus. Atque illi juvenili in pectore magnos
Verſanti nequicquam animos & voce cienti
Prælia, contortus globus à cervice revellit
Turbatum caput, & devolvit in æquora ponti.
Te patrii flevere lacus. Te Durius ingens,
Tarteſſuſque, Taguſque, & fractis cornibus Anas.
Attamen & magni capies ſolatia lethi,
Non tua degeneres jactabunt funera gentes,
Sed Batavi gens immenſo celeberrima mundo.
Non ſecus interea mediis in millibus ardet
Trompius, & trepidis interritus inſtat Iberis,

Dux ſummus mileſque ſimul. Fortiſſimus illi
Adſtabat juvenis, quem non ſemel alea belli
Et fatis exercuerat fortuna marinis:
Cui ductor: flos ô juvenum, ſi gloria mentem
Poſſidet ulla ſuper, viden' ut prætoria puppis
Oſtentet nondum detracta ampluſtria nobis,
Eia age, & illa mihi Mauris avulſa carinis
Defer, ait: Non me ventura coarguet ætas
Ingratum, facinuſque manent ſua præmia tantum.
Vix ea fatus erat. Jamſe demiſit ab altâ
In pontum puppi juvenis. Jam navis Iberæ
Adnatat intrepidus clavo. Jam fervidus inſtat,
Summa petens, properâque manu vexilla revellit
Seque ipſum involvens iterum deturbat in undas.
Et ſpolium fidis tectus ſub fluctibus aufert.
Illum ardens animis, & magna concitus ira,
Impetit Hiſpanus conjectis undique telis,
Nequicquam: Totis Neptunus protegit undis
Nobile depoſitum furiaſque irridet inanes.
Ergo ubi cuncta ſibi ceſſiſſe pericula vidit,
Emergit victor juvenis, ſpoliumque ſtupentis
Projicit ante pedes Trompi: Dux optimus olli
Dat torquem ingentem, & rutilo collum induit auro.
At parte ex aliâ diverſæ ſortis imago,
Et ſpes in dubiis jam nulla reponitur armis.
Quinetiam, ſi vera fides, in culmine veli
Obſcœnæ cecinere Striges, & dira volucris
Pallados ingrato mala prodidit omina cantu.
Si quis forte fugæ patet angulus, ilicet omnes
Adniti, intorquent proras, & carbaſa flectunt.
Biſſeptem fugere rates ad inhoſpita curſu
Litora, contracti quas deſerit unda profundi
Et circumfuſæ aggeribus cinguntur arenæ.
Auget adhuc tantam fortuna miſerrima cladem
Trompius, ut dictas vidit ceſſiſſe carinas.
Protinus injiciant Mauris qui puppibus ignes,
Delegat. Juſſæ peragunt incendia flammæ
Hiſpanasque rates parili involvere ruina.

Alte-

Altera Phœbeos lux orta reduxerat ignes,
Et nox cum ſociis inviſa receſſerat aſtris:
Jam formidatæ dejecta potentia claſſis
Corruerat. Jam devictos cum navibus hoſtes
Aut Batavi cepere, aut vis abſumſerat ignis;
Cum ſubito raucos undæ poſuere tumultus,
Preſſaque pacati tenuerunt murmura venti,
Emicuere Deæ pelagi, Xantoque, Ephyreque,
Philodoce, Beroeque, Ligeaque, Cymodoceque,
Drymoque, criſpiſque decens Galatea capillis,
Omnes formoſæ Nymphæ, Oceanitides omnes,
Junxerunt ſocias per patria rura choreas,
Unanimique ſimul pulſarunt ſidera cantu:
Vicit io Batavus, furiaſque immitis Iberi
Contudit, infeſtique eliſit fulmina regni,
Subditaque æquoreo purgavit regna Tridenti.
Nunc ô per pelagi ſecuræ ludimus undas:
Cingere victricem, Regina Batavia, frontem.
Vidimus in cœlum minitantes culmine puppes,
Millenoſque viros flammam rabido ore vomentes,
Armaque, & in jugulos tot tela parata Batavos.
Sed Deus, & melior tantam vim dextra ſubegit:
Cingere victricem, Regina Batavia, frontem.
Vidimus attonitæ tantam invaſiſſe Batavum
Biſſenis ratibus claſſem. Vix ipſe Batavus,
Vix hoc credit Iber. Manet, æternumque manebit
Dedecus Hiſpanæ nunquam delebile gentis:
Cingere victricem, Regina Batavia, frontem.
Viribus inferior, ſed non ingentibus auſis,
Trompius Hiſpanos dare turpia terga coëgit.
Mox ubi jam major collectis viribus exit,
Porrexit meritas ultro victoria lauros:
Cingere victricem, regina Batavia, frontem.
O decus! ô Batavæ clariſſima gloria gentis!
Jure minor nullo veterum, fortiſſime Trompi,
Te duce ſubverſas deplorat Iberia vires,
Te duce, te læti Batavi victore triumphant:
Cingere victricem, Regina Batavia, frontem.

I felix, patriaſque intra ſublimior urbes
Te Pater Auriacus, te ſancti turba ſenatus,
Auriacuſque minor, patriæ ſpes una patriſque
Expectant, jungique tuis amplexibus optant:
Cingere victricem, Regina Batavia, frontem.

Trajecti ad Rhenum, menſe Octobri,
CIↃ IↃ C XXXIX.

Finis Libri tertii.

CASPARIS KINSCHOTII POEMATUM LIBER IV.

AD KALENDAS MARTIAS

ANNI CIϽ IϽ C XLIX,

Cum eo die

CASPAR SCHADE A WESTRUM

Procerum ditionis Ultrajectinæ primo ordini insereretur.

LUx gratiſſima, Martiæ Kalendæ,
Ut te gaudia noſtra proferentem
Vultu conſpicio nimis lubenti!
Tu ſummi auſpiciis nites honoris,
Quem lecti Proceres ſoli Batavi
Noſtro contulerunt recens Schadeo,
Illi, quem mihi ſanguis atque eodem
Ductum nomen Avo, potentiorque
Virtus ſanguine, nobiliſque morum
Junxit gratia vinculo perenni:
Qui nunc conſpicuos in orbe magnæ
Trajecti Dominos locatus inter
Alto vertice ſumma tangit aſtra.
Quid votis ſuper arduis relictum?
Anno te modo proximam reverſo,
Quam cælebs coluit, colat maritus!

AD EUNDEM
cum ei nuberet
Cornelia Strick a Linschoten
Ultrajecti die 3. Julii
CIↃ IↃ C XLIX.

CUm tua te virtus ad culmina nuper honoris
Eveheret, toto procerum plaudente ſenatu,
Luce ſacra Martis Romani vota Kalendis
Fecimus, ut, quam tunc cælebs modo rite colebas,
Hanc reducem coleres mutata ſorte maritus.
Prævenit Regina Paphi mea vota, nec anni
Paſſa moras, primis Julî ſua dona diebus
Promit, & optatam tibi jungit, amice, puellam.
Victa tuis meritis, & eodem tacta calore,
Pulchra ſerenatos in te convertit ocellos
Gloria fœmineæ præſtans Cornelia turbæ.
Illa tuam ſe non invita fatetur, & ultro
Mille repercuſſis infigit baſia labris,
Nec nomen jam dulce timet tali auſpice matris.
Quid jam vota tuis niſi tertia, Sponſe, ſuperſunt?
Vota Deos (nec enim dubites) habitura faventes.
Favit Honos meritis, & Cypria favit amori;
Conjugii felix Lucina laboribus adſit,
Et patri ſimiles exacto tempore vultus
(Hoc &, Sponſa, velis) indulgeat, & ſibi ſoli
Pulchra ſecuturum Cornelia vindicet annum.

JACOBO BURGIO
Vienna reduci.

VEniſti, o lepide & venuſte Burgi?
Et tandem incolumem Vienna miſit?
O factum bene! gratulor reverſo,
Salvo gratulor, & beatiorem

Me

Me vel Regibus arbitror trecentis.
Nam te hinc Elyſios petiſſe lucos
Rumor dididerat nimis malignus.
Jam leſſum tibi neniaſque mæſtus,
Jam vanum tumulum tibi parabam.
Tu tantos prohibes redux dolores,
Et ſolatia fortiora promis.
Ut te incommoda triſtium viarum,
Et tot viſa binominem prope Iſtrum
Narrantem loca, & altiore laudes
Magni Cæſaris ore detonantem
(Ut convenerat) audiam libenter!
Tu tantum Amſtelias relinque ripas,
Et noſtram pete concitatus Hagam.
Hoc deſiderio tui ſodalis
Debes, o lepide & venuſte Burgi.

AD WILHELMUM WERNERUM BLASPILIUM.

BLaſpili facunde, animo cariſſime noſtro,
Gratulor, inſigni quod te donarit honore
Magnanimus Princeps, Brenni generoſa propago,
Victus amore tui, victus virtute Parentis,
(Qui, quondam invidiæ funeſto dente petitus,
Nunc levat innocuam ſublimis ad æthera frontem)
Sed potius virtute tuâ: permitte fateri,
Quamvis nota neget, veriſque modeſtia cedens
Ipſa ſuis meritis tantum indulgere recuſet.
Nec mihi vel vultu ridens fortuna benigno
(Quo me cumque modo vulgo velit illa minori
Exemtum, & velis majoribus ire per altum)
Gratior adveniat. Nec enim, cariſſime, ſoli
Contingit ſors iſta tibi. Me me quoque veſter
Tangit honos, partemque meus ſibi vindicat ardor.
Sed, pars ſi qua tuo tamen hic decedit honori,
Imputet illa ſibi genius tuus. Ille licere
Hoc mihi permiſit, tanto dignatus amore,

Immeritum, cui nil, ſolum niſi velle, relictum eſt,
Quod tantis meritis, quod tanto opponat amori.

AD

RUDOLPHUM OMMERUM

Gratulatio.

TAndem collibus, Ommeri, Sicambris,
Et ſi vis, & aquis, tuoque Rheno
Præfers innumeras amœnitates,
Felix Haga ſitu voluptuoſo
Quotquot continet. Illa te fruetur,
Et tu noſter eris, tuâque amicum
Lætâ fronte quotidie beabis.
Illum jam mala pituita vexat,
Nec conſtans patitur ſuum eſſe febris.
Tu ſolabere dulcibus ſodalem
Ægrum vocibus, unicoque flatu
Longe tædia mille diſſipabis.
At contra dabitur referre nobis
Millenas tibi gratulationes,
Quod ſidus patriæ, Batava Tempe
Non privatus adis, ſed altiori
Inſertus procerum ordini potentum,
Queis reſpublica tuta ſtat columnis.
Hoc ægro licet unicum ſodali,

AD

AD CELSISSIMUM ARAUSIONIS PRINCIPEM GUILHELMUM

Cum illi ab exercitu jamjam redituro

Gratium ſuum inſcriberet

JANUS VLITIUS.

DUm procul audacem Batavis à finibus hoſtem
Pellis, & intrepidâ concutis arma manu;
Spes patriæ, Auriaci ſuboles invicta Gradivi,
In ſubole populi tanta ſtupentis amor;
Interea reduci rurſum nova bella parantur,
Bella, ſed in ſolas illa gerenda feras,
Adverſæ ſimulacra tamen gratiſſima pugnæ,
Solaque poſt pugnam digna placere tibi.
Talia ſuccedant gravioribus otia curis;
Excipiat nunquam dignior arma quies.
Cum redit à fuſis Mavors pater ipſe Gelonis,
Si qua fides, colles & nemora alta pet
Ille graves urſos, & acuto dente feroces
Cominus adverſâ cuſpide figit apros;
Aut, pavidum leporem canibus ſcrutatus odoris,
Illæſum, Veneri munera grata, refert.
Cuncta, decus quondam felicis nobile ſæcli,
Hæc tibi facundo Gratius ore canit,
Dona Deûm, lætas monſtrans venantibus artes,
Quas docuit comites ante Diana ſuas.
Ille tamen, tanta eſt injuria deſidis ævi,
Pene ſub ingratâ nocte ſepultus erat:
Docta laboranti ſuccurrit dextera Vati,
Digno operi lucem contulit ille novam.
Ylitius abſterſâ rubigine reddidit orbi,
Qualia venanti Gratius arma dedit.

Hæc offert jam culta tibi, pulcherrime rerum,
 Auſpiciis pridem moverat illa tuis.
Si faveas tantum, ſors contigit æqua labori,
 Et tetigêre ſuos improba vota Deos.
Partheniam colet ille tuâ ſub imagine Divam:
 Thura feret Vates, & dabit aula focos.

AD V. CL.
JANUM VLITIUM.

VLiti, gloria doctioris ævi,
Promiſſos tibi molior phalæcos
Deſuetaſque diu movere chordas
Permeſſo procul, & novem ſororum
Grato culmine barbaris ab oris,
Qua ſiccâ prope deſtitutus undâ
Magnam ſordidus Ada lambit urbem,
Quæ molimine, quod recuſet ipſe
Qui cervicibus arduis labantem
Molem ſuſtinet orbis univerſi,
Humano generi tot uſque belli
Tempeſtatibus undique impedito
Fractis ſeditionibus mederi
Tandem cogitat, aureæque pacis
Lætas muneribus beare gentes.
Tu nunc Advaticas profectus oras
Luſtras oppida nobileſque terras
Et felicibus arva miſta campis.
Te crudelibus intonata bellis
Delectat regio, volubilemque
Hoſtes per medios videt vagari
Oblitum nimis Hagienſis oræ,
Quæ ſecura furoris & tumultus
Pacis muneribus beata gaudet.
Pax eſt ingeniis amica cultis:
Pacem Phœbus amat novemque Divæ:
Pax eſt nobilis alma mater oci.

At

At faſtidia tanta ſi quietis
Pertentant animum ; procul remotas
Si tanta ambitio eſt videre terras ,
Quin tu mænia deſtinata ſanctæ
Paci tutus adis , tuoque vultu
Optato unanimem beas ſodalem.

Monaſterii in Weſtphalia Idibus Aug.
CIↃ IↃ C XLVI.

PRO INNOCENTIA
JANI VLITII.

UT vaſta quercus inferens caput cœlo
Radicibuſque regna regis inferni
Aduſque tendens , quam furor procellarum
Quamvis minacis vellere Africi tentat,
Spiratibuſque pertinacibus vexat,
Suiſque Divum fulminat pater telis,
Quæ ſub caminos dura ſudat Ætnæos
Manus Cyclopum , nixa robore ingenti
Periculi ſecura ridet inſanos
Illæſa ventos, ridet igneum fulmen,
Talis ſororum corculum novenarum
Et non Batavæ nomen ultimum gentis
Et pervidentis cuncta cultor Aſtrææ
Securus immotuſque conſtitit ſola
Virtute fretus , innocentia firmus.
Quem tinctus atro livor improbus felle
(Virtutis indiviſus ille ſectator,
Quem ſub profundæ noctis impia taxo
Feralis orbi torva fudit Alecto,
Infame monſtrum , dente qui Theonino
Famam virorum nec merentium lædit)
Totis adortus viribus laceſſebat.
Qui quicquid uſquam peſtilentiæ craſſis
Latet tenebris, quicquid alta nox lucis
Tegit profundis, quicquid eſt venenorum,

Quæ

Quæ furra Styx exhalat igneis undis
Sontique tæter Acheruns lavat fluctu,
Quicquid remotis legit è ſepulcretis
Irata Colchis, undiquaque congeſſit
In innocentis, immerentis, infenſus,
Caput poetæ quo per ora mendacis
Nimium vanis facile creduli vulgi
Traduceretur. Rumor arripit velox
Quæcumque vulgo livor improbus dictat.
Fidemque mendax repperit cito fama;
Et jam colonus vilium tabernarum
Bacchi Satelles, improbus meri gurges,
Summænianæ baſiator uxoris
Turbator ingens civium quietorum,
Matrum gravidarum terror & feneſtrarum
Imbellis expugnator ora per vulgi
Differtur. Hei quam livor & malæ mentes
Humana verſant! Proh malas vices rerum!
Bonis negatur integra frui fama!
Dum qui vacunæ perlitat dies totos
Vilique mancipatur otio tantum,
Naturæ abortus & ſuperfluum pondus
Terræ parentis, blennus & merus candex
Nil ſcire doctus præter impias artes
Probos habetur inter & viros juſtos,
Qui vitia duris pejus anguibus vitet
Virtutis æquus æſtimator & cultor,
At tu profana ſegregatus à turba,
Quo celſior mens ducit & ſuo cœlo
Vicina tendit ſæculi ſuo more
Ineptientis inficetias rides
Facunde Vliti. Quid moraris, ô livor
Nefande vibex, impiæ Stygis germen
Redire mox ad Acheruſias undas?
Scelеſte fugias unde luridum primum
Pedem tuliſti. Jam tibi diem dicit
Citatque virtus ipſa pro tribunali,
Ipſius innocentiæ tribunali.

Quic-

Quicquid veneni comparaveras, totum
Sorbebis ipſe. Senties miſer tandem
Quid ira poſſit & furor poëtarum,
Cum juſtus illas impetus rapit mentes.
Maligna quicquid lingua protulit fellis,
Calumniarum quicquid eſt recantabit.
Abi maligne, ſenties graves pœnas:
Coercituſque terga ferreis vinclis
Centumque nodis pœnitentiâ tandem
Tangere ferâ, noxiæ nec expertes
Ultra canino proſequere latratu.

AD
HADRIANUM VANDER WALL,

Valli, mearum cura Muſarum, mihi
    Æterno amoris vinculo
Auſpex Apollo & ipſa quem junxit Fides,
    Dilecte Valli, quem diu
Æternitatis ad ſuprema culmina
    Pernice tendentem gradu,
Quamvis anhelo & impari paſſu, ſequar
    Ductore tanto impervias
Ulliſque preſſas ante vix veſtigiis
    Audax inire ſemitas;
Male ominatis Dædali licet puer
    Me terreat volatibus.
Amice Valli, quæ tuis ab Andibus
    Tandem reverſum, quæ mihi
Poſt longa demum redditum vix tempora
    Iniqua te ſors abſtulit?
Ut grata prati flos virentis gloria,
    Quem prima naſcentem dies
Et ſe explicantem rore perfudit ſuo,
    Vix natus aut notus, fero
Prætenti aratri dente tactus interit.
    At poſſe te tandem frui

Illuſa

Illuſa vana læta mens imagine
Tam longa poſt divortia
Vultus amici (proh dolor !) promiſerat.
Hæc me reverſum finibus
Helvetiorum, ubi Lemannus limpidâ
Redonat undâ fluminum
Quæ Celta potat omnium celerrimum,
Spes uſque fovit. Hæc iter
Meum ipſa feſtinavit ad Ligerim patrem
Ripaſque vite conſitas.
Hinc pulcram aduſque jam redux Aureliam,
Notoſque Blæſarum lares
Per Turones inde proximoſque Pictones
Doctam petens Salmurium
Tuaſque ſedes, ibam in amplexus tuos.
Ibam : aſt euntem me thoro
Afflixit, eheu ! febre correptum gravi
Fatale Dunum Cæſaris.
In me furores quæ ſuos exercuit
Meumque corpus impotens.
Ut prima tanti cauſa ceſſaret mali
Blæſas redivi protinus,
Salubriori quo refectus aëre
Vires reſumerem novas.
Tandem vigori reſtitutus priſtino
Et favit inceptis Deus.
Illic iturum te brevi Lutetiam
Manere deſtinaveram.
Animum manenti Mæris addidit tua
Amoris & deſiderI
Tui ſodalis plena, quam Charitum manus
Suo ipſa tinxit nectare.
Certe rediſti. Sed meis amplexibus
Infuſus, avulſus ſimul
Augere ſolum, immitis, acrimoniam
Tanti doloris veneras.
Illa, illa fracti ingrata corporis comes
Vix pulſa, diſceſſu tuo

Ino-

Inopinatis languidum doloribus
Aggreſſa rurſum perculit,
Nihil ſalubri amœna juvit aëre
Patriæ parentis Pattia.
Vultus amici defuit ſerenitas,
Quâ magna nunc Lutetia
Beata gaudet. Illa quantumvis ſuis
Complexa mundum manibus
Et hinc tumultus plena, turbarum caput,
Lutoſa ſemper, aëra
Contaminatis obruens vaporibus
Tandem malis ingentibus
Deſideratum conferet remedium
Totumque me reddet mihi.
Valete Blæſæ; fluminum pater vale,
Muſæ valete Aureliæ,
Laborioſam tendimus Lutetiam,
Quo nobile Heroum decus
Votis amicum Vallius vocat ſuum,
Illic amica ſanitas
Et mille mentis me morantur gaudia.
Hic liber & tandem meus
Propiuſque vatis vultibus junctus mei
Secura ducam tempora
Negotia inter & tumultus urbicos
Jucunda firmans otia.

AD
JACOBUM PYLIUM.

URbis Dordraciæ, venuſte Pyli,
Ingens gloria, blanda quem parentem
Fecit Douſiade parente nata,
Quam nunc invidet Haga Dordracenis:
Tu lentis Dominam tenes in ulnis,
Pyli candide, quid tui Poëtæ
Verſus inſipidos & inficetos

In-

Incultæque manus petis lituras
Inter nomina tanta, quæ ſupernis
Virtus ardua ſedibus reponit?
Non noſtris datur hic locus Camœnis
Suetis ſerpere humi ſuaſque vires
Metiri modulo modeſtiore.
Excuſare tamen nefas; & inſtat
Mentis ſacra mihi tuæ voluntas.
Ergo hoc accipe qualecunque ſolo
Affectus pretio tibi æſtimandum.

AD

MARCUM DUNCANUM

CERISANTIUM.

GEntis Pieriæ decus,
Quem percuſſa gravi pectine barbitos
Priſcis ingeniis parem
Summis conſpicuum tollit honoribus.
Quo te carmine, quâ lyrâ,
Tantis quæ meritis digna ſonet, canam
Hoſpes Pierii jugi?
Dum divam, populis quæ Borealibus
Æqui pondera dividit,
Arctoi ſubolem Martis ad æthera
Æterno eloquio vocas,
Qualis Parrhaſii, Coe ſenex tuis
Vel depicta coloribus
Regali pretium ferre palatio
Munus Mazario venit;
Ingens qui Latiæ gloria purpuræ
Cœlum Borbonium novus
Incumbens humeris ſuſtinet Hercules.
Si reſtat precibus locus
Tam juſtis, veniam cede, petentibus
Qui ſe verſibus impares

In-

Indignas metuunt ſolvere gratias.
  Fractas interea minas
Inflatæ Heſperiæ primaque Borboni
  Invicti arma reponimus,
Quantumvis aliis & melioribus
  Decantanda modis, tamen
Dum cœlum Icariis uſque volatibus
  Audax propoſiti peto,
Laudem materies forte merebitur,
  Quamvis ſuppoſita arduus
Caſus præcipitem volvat in æquora.

AD
HENRICUM BRUNONEM.

SI quid ſolutis reſtat otii tibi,
Amice, curis, ſiquid à ſtudiis vacat
Nec forte totum tetricæ poſcunt Deæ,
Dum mens remiſſione laxatur ſua
Fruiturque blandis ambulationibus
Quas Haga præbet,& novem gratiſſimum
Nemus Deabus, dictaque Hugenio tuo
Batava Tempe, dum leves circum joci
Jucunda fallunt tempora & lubentiæ,
Chariſque geminis blanda cum ſororibus,
Pauliſper aures commoda nugis meis,
Ineptiis & inficetiis meis.
Sed hinc amorem & mentis affectum meæ
Ne quæſo ne dilecte metiri velis
Et æſtimare exilitate muneris:
Mens ipſa major. Spirat æternum tibi
Devotus animus: nec labaſcit temporis
Perire tractu, ſed ſibi conſtat, licet
Tanto locorum ſeparatus termino.
Sed hæret, hæret, ſemper hærebit tuus,
Amice, vultus pectori infixus meo,
Et quicquid in te miror & mirabitur

Quicumque mentis diligit frugem bonæ.
Te propter Hagam & patrios mallem lares
Totieſque cantu nobiles umbras tui,
Ni fata ſtudiis hanc darent ſedem meis
Blandaque vinctum continerent compede.
Me mœnia altæ clara Trajecti tenent,
Urbs principalis, fœta nobilibus viris,
Novum Lyceum, Pallados Sacrarium.
Totas ubi olim, Rhene, volvebas aquas
Et quantus orbi proderis, nunc cornua
Infracta. Reſtat umbra tanti nominis.
Hic vatibus non una materies datur,
Et ampla laudibus paleſtra panditur.
Et nos avemus lauream decerpere,
Ni fata cæptis invident ingentibus.
Hic alta turris inſerit cœlo caput,
Vaſtoque verticem erigit molimine.
Admittit ægre languidos viſus apex,
Hebetatque lumen altitudo culminis.
Stant varia juxta turrium cacumina
Ut pone regem ſtant miniſtrorum ordines
Dominique nutum ſinguli obſervant ſui.
Hic ſurgit ædes ſacra Divæ virgini,
Quondam profunda nobilis voragine.
Quam non revulſæ montibus vaſtæ arbores
Obſtruxerant, non mille ſaxa texerant,
Nihil ars, nihilque fecerat reliquum labor.
Sed cuncta fruſtra. Sola Taurûm tergora
Implere hiatus horridi poterant ſpecus.
Cujus columna literis perennibus,
Notata certam poſteris facit fidem.
Hic planta firmæ & area arcis cernitur,
Jugum quod olim liberis cervicibus
Statuit tyrannus: civium fortis manus
Evertit, æquavitque funditus ſolo.
Sed ne quid ultra ad nominis tanti decus
Deeſſet uſquam, venit in partem Deus
Cui Thymbra paret. Et Deas Novenſiles

Cirrhæ

Cirrha relicta traxit in ſacrum locum.
Quo nunc juventus, cujus in præcordiis
Virtutis ardor æſtuans & gloriæ
Jubet Dearum templa doctarum ſequi.
Confluxit omnis. Dulcis ac apum cohors
Æſtate prima raptat Hyblæum thymum.
Cellaſque melle ſtipat & dulces favos.
Sed radiat una, Cynthiæ velut jubar
Inter minores fulget aſtrorum choros
Schurmanna virgo, nobileſque ſpiritus
Pluſquam viriles mente virginea gerit.
O virgo plectris non canenda vilibus,
Tacenda noſtris! Pallada oſtentet ſuam,
Quicumque jactat ſceptra Muſarum locus;
Vivam Minervam ſola Trajectum dabit
Decimam Dearum ter trium, quartam Charitt.
Quid literarum nunc ſacerdotes loquar?
Meumque Matheum, anteceſſorum decus,
Quem fama faſtis annotat perennibus?
Æmilimque literariæ rei
Veram columnam? par virorum illuſtrium
Et tot celebri nobiles fama viros.
Tali lyceo clara Trajectum caput
Ad aſtra tollit, parva cujus portio
Nec indecora gaudeo vocarier.
Hæc eſt palæſtra mentis, hic campus meæ.
Hic liberali tutus otio fruor
Intra librorum delitens pomœria.
Quod ſi obſerarit clauſtra ventorum Æolus
Facieſque cœli mitis allectet foras,
Inviſo campos fertilemque agri ſitum
Expers dolorum & vilis ægrimoniæ.
Illic recumbo, ſeu latret canicula,
Viridi ſub umbra, ſeu levis Favonii
Infringat aura torridum Latonium,
Dio ſub ipſo, qua quieti fluminis
Alludit agris lympha roſcido pede;
Tum qui morantem Cynthium meum occulat,

Se ſponte nec quæſitus adjungit mihi
Andinus Orpheus, non gravem comitem viæ
Duplicemque Homerum triplicemque Apollinem
Aut qui novata transfigurat corpora
Aut qui profundo collocat Triviam Jovi.
Nec ille vates ſæculi noſtri decus,
Nulloque veterum jure cenſendus minor,
Cui Ganda plus quam Cæſari debet ſuo,
Iviſſe mecum dedecus ſibi putet.
Sic vivimus dilecte, ſic fluunt dies
Abeuntque ſenſim non moleſta tempora.
Nec forte ſi ſors turbet aut Regum furor
Evertat urbes, unius teruncii
Aſſiſve pendo. Si vel immerentibus
Fæminea Thraſo bella cum ſaxis gerat,
Tutus procellas rideo, ſic cogitans:
Quem nocte ſilici excutere ſcintillas juvat,
Hunc mentis haud habere ſcintillam bonæ.
Sed prurienti fibulam impono ſtylo
Ineptiarum ut ſit ſuus tandem modus.
Nunc hunc abortum ſolvo nexu patrio,
Emancipoque; quicquid hic mei fuit
Juris, reſigno & tranſero in manus tuas.
Tu ſeu marito Cypridos tradi velis,
Seu potius undis Nerei Batavici,
(Non ille tam remotus à veſtro lare)
Nihil repugno. Juris hoc totum tui eſt.
Quod ultimum reſtabat, æternum vale.

Trajecti ad Rhenum pridie Kal. Octob.
CIↃ IↃ C XXXIX.

LIBERTATI LUSITANICÆ
Eamque decantanti
ARNOLDO SLICHTENHORSTIO.

QUem jura terris æquorique dicentem
Nec terminantem ſole nec mari faſces
Unumque regem regibus parem cunctis,
Æquoque Reges Marte tot laceſſentem
Quondam videbas, nunc volubilis fati
Verſaque ſortis orbita laborantem
Specta, Batave; ſic tot impios auſus
Tyrannidemque ſpiritumque ſublimem
Faſtumque tandem juſta vindicant fata.
Specta, Batave, quem remotior Ganges,
Quem victus Indus horruit triumphantem,
Quem Rhenus ingens Italumque non unus
Timebat amnis, cujus arduis votis
Anguſta victi portio fuit mundi.
Nunc ipſe victus exulat ſuis terris
Ludibriumque debet hoſtibus fœdum.
Specta, Batave, Luſitaniæ regnum,
Ocellus ille Celtibericæ terræ,
Injuſtum iniqui patrimonium regis,
Quod civibus, quod Diis tenebat invitis,
Diu negati Regis excutit faſces,
Et liberato ſurgit altius collo:
Quod fama narret ſæculique venturi
Miretur ætas, cuncta nec tamen credat,
Hoc Phœbus una luce vidit inceptum,
Una peractum. Sic Bracantius ſanguis,
Tot ille longâ ſtirpe nobilis Regum,
Nulli ſecundus ipſe, patriam diro
Preſſam tyranno liberavit exurgens
Sibique gentem vindicavit aſſertam.
Specta, Batave. Sic furor Philipporum
Sedet repente, ſpirituſque franguntur.

Hoc te, Batave, tangit & tuos omnes.
Tanti triumphi vindicas tibi partem.
Quicquid Philippis undecumque decedit,
Quaſcumque ſerus patitur Heſperus clades,
Lucrum Batavi eſt & triumphus & laurus.
Hæc eruditi Slichtenhorſtii Muſa
Par una tantis rebus, una quæ digno
Æquet triumphos mille non minor verſu,
Tranſcribet ævo poſteriſque venturis.
At tu, Batave, redditam ſibi ſpecta
Et vindicatam Luſitanicam gentem
Et fulminantes hinc & hinc Catalaunos
Et fulminatas undique Heſperi vires
Sub mole tanta pene jam labaſcentis
Paremque tantis Slichtenhorſtium rebus.

Virgini Incomparabili

ANNÆ MARIÆ A SCHURMAN.

Decima ô Dearum ter trium, Charis quarta,
Secunda Pallas, ô perenne miraclum,
Et patriæ præluſtre ſidus, ô Virgo,
Sed qua minorem ſe vir omnis agnoſcit,
Te, quicquid eſt ubique, peſſimus vatum,
At unicus mirator, at tuæ laudis
Ubique buccinator, at bonæ mentis
Capax, precatur, flagitat, rogat ſupplex,
Ut huic libello commodes tuam dextram,
Monumenta quo tui ſuperbus oſtentet.
Hoc ſi impetrarit, gemma ſæculi noſtri,
Tunc altior, tunc erigens humo frontem
Feciſſe ſe ſat credet ad ſui laudem.

SCHURMANNA VIRGO.

Ante fuere novem, nunc ſunt bis quinque ſorores,
Et Pallas nata eſt altera, quarta Charis.

Joannes Secundus.

Haga ſui quamvis ſe jactet Principis aula,
Plus debet cunis, Magne Secunde, tuis

NICOLAO HEINSIO.

E Britannia Reduci.

LEydæ numina, præſides Lycei;
Turba ô enthea ter trium ſororum;
Præſes Cynthie ter trium ſororum,
Et quæ, Diva, vides tuos Batavos
Aris te propioribus colentes,
O ſola è Superis patrima virgo;
Vobis, ô Superi, Deæ Deuſque,
Vobis maſcula thura limpidumque
Libat bis geniti Dei liquorem
Voti Kinſchotius reus peracti:
Veſtra altaria myrteis corymbis,
Lauri virginis impeditque ramis,
Tandem dum Tameſi meus relicto
Terræ redditur Heinſius Batavæ.

IN EFFIGIEM
JACOBI MÆSTERTI

Juris in Acad. Leyd. Profeſſ.

QUem docuit ſua jura Themis, quem jura docentem
Ipſa ſuo ſtupuit flamine Diva minor,
Vultu etiam voluit te non pereunte tueri,
Mæſterti, Themidos non pereuntis honos.

Ut, cum ſera dies noſtris venit ultima votis
Dum tuus æterno vultus in ære manet,
Dum pia poſteritas, pro te dum ſcripta loquuntur,
Totus adhuc ſuperes poſt tua fata tuis.

Hagæ Kal. Septemb.
CIↃ IↃ C XLIII.

IN EFFIGIEM
VIRI ERUDITISSIMI
BERNARDI ZWARDECRONÎ
Summi juventutis, dum viveret, moderatoris.

Modeſta pietas, candor, eruditio,
Et vita nullis inquinata labibus
Unâ tabellâ continentur omnia.
An plus requiris? plus tabella continet.

AD SE REDIT.

Tandem inquietis te laboribus redde
Mens excitata, mens tuæ memor ſortis.
Unde ille torpor, otioſus, imbellis,
Tui imperator impotens, tui victor,
Et dedecentis te ſilentii juſſor?
Jam te Quiritum priſca verba conari,
Et æmulari gloriam tot Heroum
Pridem decebat: nec ſopore languentem
Tot feriatas ire inutilem luces.
Seu te per altòs eloquentiæ campos
Cogat vagari Tulliana majeſtas,
Seu ſacra montis te biverticis turba
Præterfluentis ad vireta Permeſſi
Invitet. O quæ vecta præpeti curru
Cita per altas orbita ruis nubes,

Dæ

Duc me ſequentem, Fama, duc anhelantem,
Duc, Fama, paſſu non pari laborantem,
Dum me minoris gloriam ſupra vulgi
Superfuturum, Diva, molior nomen.

Ad Musas.

Venite Divæ, ſive vos Pindus tenet,
Seu Phthia Tempe, ſive Parnaſſus biceps,
Sive alia veſtris ſacra numinibus loca.
Venite Divæ. Quid moras jam nectitis?
O tarda nimium numina cultori ſuo!
Jamjam profecto veſtra deſeram ſacra
Et me profanis aggregabo cœtibus.
Nec lacte puro thure nec litabimus
Veſtras ad aras Liberive munere.
Venite Divæ, poſcimur, jam poſcimur.
Jam nuptiales properat Uraniæ genus
Movere tædas. Jam ſuis ſororibus
Comitata feſta Gratia accendit faces,
Et Diva Cypri cum Tonantis conjuge.
Jamjam venite nec Deæ moramini.
Quæ cura verſat occupata pectora,
Ut vana fundam verba ſurdis auribus?
An & Deabus vile nomen virginum eſt?
An & maritis elocare jam ſuas
Natas ſupremus deſtinavit Jupiter?
An alia major cura vos tangit Deæ?
Sive ulla, ſive nulla cura vos tenet,
Aut jam venite nec ſuper moramini
Aut me profanis aggregatum cœtibus,
Et ſacra veſtra deſerentem cernite.

AD EURUM.

HEu nimium metuo. Quid enim poſt nubila ſperem
Obſcœnâ facie totum fœdantia cœlum ?
Cernis ut obducat rubeæ color æthera nubis ?
Terribiles notat illa notos totiſque furentem
Fratribus Hippotaden impacataſque procellas.
Currit hiems longique fluunt ex ordine menſes.
Et tantum pluvias & tantum flamina cerno.
Eure veni, gratoque adſpires frigore terras.
Eure veni, vincliſque adſtringe tenacibus undas.
Te claſſis quaſſata notis, totieſque furentem
Experta in ratibus Zephyrum te tota precatur,
Belgica felici ſpires in carbaſa flatu.
Speratas fruges alimentaque mitia terris
Blattæque tineæque (& quo tot nomine dicam
Excrementa ſoli ?) comedunt, Jam pallida febris
Regna tenet longaque exhaurit corpora tabe.
Eure veni, cur tardus abes ? cur longa moraris
Gaudia ? diruptis ſolvas tua vincula clauſtris,
Aut ſi ferrati prohibent procedere poſtes,
Exora Hippotaden. Forſan communia flectent
Vota Deum, tandemque obices tibi ſolvet ahenos.

Hagæ CIↃ IↃ C XL.

FERDINANDI AUSTRIACI

Belgarum Gubernatoris epitaphium.

OPpoſuit toti quem triſtis Iberia cœlo ;
Quem Batavi fatis credidit eſſe parem ;
Hunc tumulum Fernandus habet, quem maſcula virtus
Et ſuper ingentes fama vehebat avos.
Scit Fanum Audomari ; ſcit magni Villa Theonis :
Aria ſcit ? norant Teutonis ante plagæ.
Ultima quo tumulo contecta jacere videtur
Auſtriacæ gentis gloria, prima jacet.

DE

DE MORTE
GASSIONIS.

Viderat exſtinctis naſci felicia bellis
 Sæcula, vixque odiis jam ſupereſſe locum:
Et prope nunc initam poſt tot diſcrimina pacem,
 Vixque aliquam in ferro ſpem ſupereſſe ſibi.
Ilicet infrendens dirum feralis Enyo
 Indignabundos protulit ore ſonos,
En ego, culta diu, centumque ſuperba triumphis,
 Spreta procul caris ſedibus exul agor.
Non ultra miſcere acies, non ſæva licebit
 Rite per infeſtas ſigna movere manus.
At meus haud certè mea terga videbit alumnus,
 Probroſæ teſtis non erit ille fugæ.
Ibit ad infernas ergò mihi prævius umbras
 Gaſſion. Hæc fati ſigna futura mei.

IN EFFIGIEM
GASSIONIS.

Poſt tot millia fulminata bello
 Et faſtum Heſperiæ prope impotentis
A radicibus ultimis reciſum,
Tandem Lutetiam redux Gradivus,
Dum pictâ ſimulatus in tabellâ
Humana facie cupit videri
Indulgens oculis pater ſuorum,
Vultus ſumpſit & ora Gaſſionis.

IN

IN
PULCHERRIMAM PUELLAM,
Seni effato nubentem.

O Procis petita mille, flos beate virginum,
Sed procis negata mille, flos dolende virginum,
Ipſa cui concedat ipſa ſponte Regnatrix Paphi,
Dic mihi, dic, ô Venuſta (quid Venuſtam te voco?
Mutuetur ipſa nomen potius à tuo Venus)
Dic mihi, cur tot, juventæ flore qui ſuperbiunt,
Frigidum præfers maritum, debilem, informem, ſenem?
An, quod illa blanda Mater dulcium Cupidinum
Non Apollinem decentem, non bimatrem Liberum,
Non ferum bellis Gradivum, non nepotem Atlantium
Legerit ſibi maritum, ſed nigrum, claudum Deum,
Ne tibi non parte ab omni victa Diva cederet,
Diſpari magis marito maluiſti nubere?

IN QUENDAM.

QUæ tibi digna precer, qui nil niſi propria laudas?
Ut tibi, ſed ſoli, propria ſola probes.

EXPRESSUM EX
EUNUCHO TERENTII,
Act. 2. Sc. 3.

AH! nimium perii. Fugit formoſa puella,
Illa oculis nimium grata puella meis.
Perdita nec virgo, nec qui male perdidit, uſquam eſt,
Illa erepta oculis, immemor ille ſui.
Quis me ſollicitis erroribus eximat ægrum?
Quis, mea quo quæram lumina, monſtret iter?

Omnia

Omnia ſunt incerta : ſuper ſpes unica tantum eſt:
Forma poteſt cœlo non bene digna tegi.
O faciem pulchram , cui ſe Regina minorem
Sponte tibi cedens dixerit eſſe Paphi !
Tu mihi formoſos deles è pectore vultus,
Grata meis oculis ſi qua puella fuit
Jam mihi tot Venerum veniunt faſtidia. Cunctas
Pulchra magis Veneres abſtulit una Venus.

IN
VENUSTISSIMAM PUELLAM
Claudicantem.

VUltus eximii pluſquam mortalis imago,
Nec vultu eximio mentis imago minor,
Sanguine te Superûm cretam , Melibœa, fatentur.
Nec dubito , certe Cypria mater erat.
Nec tamen Anchiſes genitor , nec pulcher Adonis,
Nec qui terribili concutit arma manu ;
Eſſe ſuam nequis te dicere poſſet adulter ;
Crura dedit Genitor : cætera Matris habes.

EFFIGIES
CONSTANTIÆ.

CUm procul indignas fugeret Conſtantia terras,
Depoſita tabulam cuſpide ſumpſit Amor,
Et , mea ne tecum procul hinc, ait, erret imago,
Picta mane noſtrâ , cara puella , manu.

IN

EFFIGIEM RATIONIS.

OPtima pars Animæ, ſanctorum Regula morum
Quâ nihil à ſuperis majus in orbe datum eſt,
Induit humanos tali ſub imagine vultus
Omnis ut ex omni parte veniret amor.

AD

JACOBUM BURGIUM,

Cum in itinere cogeremur jejunare ob feſtinationem cujuſdam, in cujus comitatu eramus.

SI pacem prope credis eſſe, Burgi,
Multum falleris. Alma pax abundat
Omni munere: bella præparantur;
Bella immitia; namque ad haſce terras
In ſpem venimus eſuritionis.

IN

SUFFENIUM

Qui in linguam vulgarem è Latinâ tranſtulit opera

P. VIRGILII MARONIS.

VIrgilius iſte, quem videtis hoſpites,
Si quid venuſto creditis Suffenio,
Heroici nihil, nihil venuſti continet.
Traduxit illum ſcilicet, non tranſtulit.

SPE-

SPECIMEN
POETÆ DESPERATI.

TE potui moriente mori: felicior eſſem,
Si caput hoc parili damnaſſent fata ruinæ.
Omnia ſic uno potuiſſem abſolvere letho.
At tu, æterna anima, & dominatrix unica noſtræ
Quondam animæ, lex una meæ certiſſima mentis,
Dum te formoſi complexam corporis artus
Hoſpitio tenuere ſuo, dum pignore tanto
Terra beata fuit, tantis indigna triumphis
Quos de ſidereis jam duxerat æmula formis,
Te duce, teque minor: tu nunc pulcherrima rerum
Sedibus Eliſiis tranſcripta lociſque piorum
Deſpicis humanæ gaudens ludibria ſortis.
Ipſe pater cunctos venienti aſſurgere juſſit:
Nec tibi jam priſcæ ſe famâ Heroides æquant.
Siqua tui te cura tenet poſt funera vatis,
Nec ſolitum potuere nefas oblivia Lethes,
Reſpice me infando devinctum pectora luctu,
Heu! lachrymis oppreſſa ſuis, quæ fluminis inſtar
Heu! riguæ ſemper, ſemperque novæ deſtillant.
Interea mœſtis trahitur dum vita querelis,
Diva, tibi æternos tumuli ſtatuemus honores.
Bina tibi viridi ſurgent altaria muſco,
Bina loci Nymphis fumantia thure quotannis.
At circum lauri, circum gratiſſima myrtus
Et Veneri & Phœbo gratiſſima munera ſtabunt.
Non opus eſt Phœbi radiis, tuus iſte calorem
Diva, dabit, tuus iſte cinis: non poſcimus imbres
Irriguos pluviumque Jovem, dabit hæc tuus olim,
Diva, tuus vates; lachrymarum ſufficit humor.

DIRÆ IN BRITANNOS REGICIDAS.

INominata natio Britannorum,
Quam conſulens natura gentibus cunctis,
Irata ſoli, ab orbe totius mundi
Diſcriminatam inſanientibus ventis
Fluctuque decimo ſemper & mari toto,
Sibi reliquit, barbaræ, cruentatæ
Tot innocentum ſanguine, & novæ cædis
Siti furentem ſemper, & ſitituram,
Dum nobilis, dum maſculi, nec indigno
Se mancipantis faſce ſub tyrannorum
Gutta ulla ſpirans ſanguinis relinquetur;
Gaude, peractum eſt: digna victima inſanæ
Cecidit, tyrannis immolantibus, plebi,
Quâ major aras nulla Cælitum tinxit.
Quod vidit ætas nulla, nec futurorum
Ætas nepotum creditura, quod præſens
Nec credere audet ipſa, lumine hoc ſicco,
Gens dira! gens nefanda! ſic potes, ſpecta.
Ille, ille Regum ſanguis, & parens Regum
Deûmque imago, & cum Diis adoranda,
Inuſitato colla ſubdit exemplo,
Ictuque procumbit ſecuris ad tantum
Scelus trementis, & manum recuſantis.
Et tu ſuperba nobiliſque Londinum,
Tu ſola cunctis major urbibus quondam,
Nunc belluarum, nunc nefanda monſtrorum
Parens & altrix, nunc latronibus plena,
Scelerum officina, inhoſpitum ſepulchretum,
Odium omnibus commune & ultimum terris,
Opprobriumque vile ſæculi noſtri;
Dignum theatrum parricidii tanti,
Luſu, choræis, ebrioque ſingultu
Regi parentas; lætaque & triumphatrix,

Tan-

Tanquam ſubactis hoſtibus, levas frontem.
Sed vivit ultor, vivit, & parat pœnas,
Graves, tremendas, crimini pares tanto,
Par eſſe ſi quid crimini poteſt tanto.
Sceleſta tellus! Pulſa finibus veſtris
Juſtitia Regi Regis exhibet ſummo
Cauſam innocentis, & nocentium cauſam,
Contaminavit quotquot inclytus ſanguis.
Efferte terris ocyus profanatis
Pedem, bonorum ſi quid uſpiam reſtat,
Ne vos eodem turbine ultor involvat,
Nunquam expiandæ cerno vindicem noxæ
In nil timentes tale de polo flammam
Jam jam cadentem, ſed parum eſſet abſumi
Uno ſepultam cinere perfidam gentem,
His par nec auſis. Natio ulla quid tantum
Unquam expatravit imbre flammeo exciſa?
Quin & furori proprio relinquantur
Suiſque pœnis. Arma ſumat in patrem
Infanda proles: Frater impio fratris
Occurrat enſi: civis impetat civem,
Fuſumque cæſi ſanguinem ebibat civis:
Calcata jaceant jura, fœdera, & leges,
Concordiæque vincla cuncta rumpantur:
Et ſi quis ultra ſtrage reſtet à tanta,
Sibi ſit hoſtis, & ſuo cadat ferro.
Tum quæ nefanda monſtra protulit tellus,
Exempla ſæclis ne qua poſt ſecuturis
Reducat, aut tot innocentibus terris,
Illi objacent quotcunque litore adverſo,
Contagionem immittat, & mali labem,
Meta negantis ſe tenere præſcriptâ,
Abſorbeatur tota fluctibus ponti;
Parum eſt fuiſſe toto ab orbe diviſam.

CANDIDÆ MOPSO NUBENTI.

BOreas rigentes horridus flatus movet,
Hiemſque ſtridet, tuque cum Mopſo tuo
Aſcendis alta fulcra genialis thori.
Audi proterva (ſi tamen credis mihi
Verum loquenti, veraque loquentibus
Occludis aures & jubes faceſſere)
Audi proterva, frigidum thorum premes.
Tuus maritus ille, particeps thori
Effœtus ille, cui calorem ſanguinis
Exſuxit ætas, nil caloris afferet,
Nil affricabit, pectori ſed candido
Frigoris inuret lividas ſui notas.
Quod ſi calente mavelis lecto frui,
Ne cogita, quod faciet id conjunx tuus.
Potius Bathyllum quære lecticarium.

ALIUD.

PLORA, SI SAPIS, O PUELLA PLORA.
Illud nomen amabile, illud, illud
Nomen virginis auferet maritus,
Et quivis utinam auferat maritus
Non cornicibus omnibus ſuperſtes!
PLORA, SI SAPIS, O PUELLA, PLORA.
Nox quamvis oculos amata claudet,
Turbabit tuus hanc tibi maritus,
Et nictu & querimonia ſenili.
Quam malles viduo jacere lecto!
PLORA, SI SAPIS, O PUELLA, PLORA.
Illud os oculoſque delicatos
Illud purpureum decus genarum
Suaviabitur hiſpidus maritus,
Et lædet faciem tonante dignam.
PLORA, SI SAPIS, O PUELLA, PLORA.
Tu privata ſodalium tuarum

Blan-

Blandis alloquiis ſeriſque mille
Vives obſita; ſic tuus maritus
Lecti arcebit adulterum jugalis.
RIDE, SI SAPIS, O PUELLA, RIDE.
Inſtat proxima mors tuo marito.
Libertas tua, Candida, appropinquat.
Effæta viden' ut gràvis ſenecta
Jam pedem inferat alterum ſepulcro?
RIDE, SI SAPIS, O PUELLA, RIDE.
Ille, cui tot opes dedere fata,
Qui tot jugera poſſidet, tot agros,
Mundum teque & opes ſuas relinquit.
Parvi præmia magna erunt laboris.
RIDE, SI SAPIS, O PUELLA, RIDE.
Parvi præmia magna erunt laboris.
Tot dotabere, tot beata donis.
Nam mallet proprios carere natos,
Quam te non Danaes rigare rivis.
RIDE, SI SAPIS, O PUELLA, RIDE.
Virgo rurſus eris beata virgo.
Nam quis te viduam putabit eſſe,
Cum nil fecerit hic tuus maritus,
Nomen virginis unde perdidiſſes?
RIDE, SI SAPIS, O PUELLA, RIDE.

ALIUD.

QUod tecta vultum non, ut ante, fulgeat
Tenebricoſa Phœbe,
Suumque pulcer abdat Heſperus jubar
Dux ſiderum minorum,
Non illa nobis atra nubes eripit,
Non Africi protervi;
Nox illa Mopſi eſt. Ille jam dudum omnibus
Cornicibus ſuperſtes
Effœtus, olidus & veternoſus ſenex
Et pabulum Acherontis,

Ducit puellam vere primo nobilem,
  Heu diſparem ſenectam!
Inauſpicatis nuptiis facem negant
  Faces poli micantes,
Non feſtus Hymen properat Uraniæ genus
  Feſtas movere tædas.
Non blanda geminis cum ſororibus Charis
  Adit cubile nuptæ.
Abeſtque Juno pronuba & quotquot ſolent
  Tædis adeſſe Divi.
At ô beatos, Candida felix tua
  Decerpe, Mopſe, fructus.
Tot ille veſper liberos lectus dabit,
  Quot unda fert ariſtas.

EX PARI IMPARI

OLIM EDITO.

MAlus rupta, annoſa, malis domus hoſpita blattis,
  Quam male tam pulcræ convenit illa rati!

II.

Septimus in cunis Mopſo jam vagiit infans
  Cum jacuit cunis nupta futura ſuis.
Septima ſic Mopſo poterat quæ nata fuiſſe
  Contigit heu! ſtolido nupta ſecunda ſeni.
Quam mihi nupturam ſervant cunabula ſponſam,
  Occidat in cunis illa puella ſuis.

ACHATES NOCTURNUS.

VIdi ego cum ſilici ſcintillam excuſſit Achates.
Scintillam mentis non habet illa bonæ.

EPIGRAMMATA.

DE

HERMOGENE.

Æolios fratres flatu ſine lege furentes
Totumque flumen ſedibus excitum ſuis
Non timet Hermogenes : tumidi namque æquoris undis,
Quem fata furcæ adjudicant, nequit mori.

Vidimus Hermogenen merito ſuſpendia paſſum,
Atria vah! mortis quam breve pandit iter!

Aſper & immitis fati licet ingruat ordo,
Semper in adverſis mens conſtantiſſima ſpera.

In Avitum.

Qui ſapis, ô juvenis, ſenior dicebat Avitus,
Parce nimis temere fœdus inire thori.
Flore juventutis melioribus utere rebus;
Qui libertatem tunc habet, ille ſapit.
Uxorem ut ducas, quinquagenarius ut ſis
Sufficit. Ulterius non licet iſſe tuo.
Audiit hoc primis vernans cognatus in annis
(Annorum prope tum quinque decemque fuit)
Fortiter ancillam patrui mox ille ſubegit.
Mox patri ſimilis naſcitur inde puer.
Eſſe quidem genitrix eadem potuiſſet amantis
Illo quo fuerat tempore facta parens;
Nec fuerat tota quæquam deformior urbe:
Nil erat huic floris, nil erat huic Veneris.
Sed tamen ut patruum ſequeretur recta monentem,
Nil puer ille ſua viderat in Venere.

IN
GERMANUM QUENDAM.

VEnit ab extremis Germanus finibus exul
Et Batavam verrit transfuga vilis humum.
Stipitibus ſimiles dixit mox eſſe Batavos.
Stipitibus Batavis debuit ille mori.

IN
PUELLAM FORMOSISSIMAM
Submerſam & in litus Cattovicenſe Ejectam.

QUis Venerem tumidis natam putet æquoris undis;
Ipſa Venus ſævo cum pereat pelago?

EPITHALAMIUM
IN NUPTIAS
FRANSISCI BOCHOVÎ,
Rei tormentariæ præfecti,
ET
ANNÆ VANDER HAER.

DUm litui ceſſant bellatriceſque catervæ,
Parvaque concedit Batavis Mars otia terris,
Succedit Regina Paphi. Non alta Cythera,
Non Paphos ipſa Deam, non Cypria rura morantur
Idaliive lares. Batavi vocat ætheris aura.
Haga vocat genitrix Divorum nobilis Haga.
Hanc Dea præ cunctis unam colit. Haga pharetras,
Haga faces ſervat laſciva Cupidinis arma.

Illa

Digitized by Google

Illa etiam ſervat tot millia formoſarum,
Quot cœlum ſine nube faces, cum vitrea Tethys
Proluit emenſo redeuntes orbe jugales.
Ipſa levi ſubvecta venit Dea Cypria curru
Aligeris circum comitantibus. Ille corollas
Sertaque lætanti nectit victricia matri.
Ille leves arcus ferrugineamque pharetram
Explicat obtuſique intendit acumina ferri.
Sentit humus Dominam, totaſque ſoluta pruinas
Exuit & Scythicas hyemem tranſcribit in oras.
Aſpicis ut Batavo fugiat procul æthere Corus?
Et triſtis Boreas atque implacabilis Auſter?
At Zephyri grato perſtringant aera flatu?
Quaque volant, toto decedunt nubila cœlo?
At puer Idaliæ matris juſtiſſima cura
Tela tenens arcumque manu, quibus ille Tonantem
Æthere & ingentes ſolitus deducere Divos,
Per Batavum Tempe Phthiis prælata vagatur.
Quem primum, quem deinde tuis, fortiſſime, telis
Dejicis? Occultos inſpiras oſſibus ignes,
Mentem adimis læſis, totumque infundis amorem.
Te quoque, Bochovi, Paphiæ tetigere ſagittæ,
Tu quoque vulnus habes & habent tua pectora flammæ.
Illa animi virtus nullis concuſſa periclis
Aut belli fremitu, ſævus licet undique Mavors
Ingruat, & fractas diſrumpat grandine nubes,
Nunc labefacta cadit, nunc tota imbellibus armis
Frangitur & tenero ſuccumbere diſcit amori.
Ipſe puer flexit ſinuoſum fortiter arcum,
Telaque de picta quæ promſerat ante pharetra,
In jecur atque imas fertur miſiſſe medullas.
Ardet amans hæretque in Virgine totus amata.
Hanc amat, hanc ſequitur ingenti ſaucius ictu:
Et modo duritiem triſteſque ex ordine luces,
Nec ſatis hybernum queritur procedere ſolem,
Et modo deceptum ſe ſpe ſolatur inani,
Et falſa dubiam deludit imagine mentem.
Heu! quid agat? nec enim lacrymis, nec enim illa movetur

Queſtibus & ſurdis commendat vota procellis.
Ah quoties mens ingenti devicta dolore
In triſtes lacrymas & verba dolentia rupit!
Ah! quoties conata loqui vox faucibus hæſit!
Indomitum tantum ſub pectore verſat amorem
Et ſocia exangues cum ſollicitudine curas.
At puer inde procul celſum ſuper aëra fertur
Feſta relaturus lætanti gaudia matri.
Eſt locus Haganis haud longe diſſitus oris,
Arboribus denſis circum obſitus. Undique multa
Surgunt prata jugo. Non gratior ulla Deabus
Naïaſin ſedes & [illegible]vicolis Sylvanis.
Illic æterno veſtiti gramine colles,
Illic plorat Ityn defunctum Daulias ales
Et toties mœſtis repetit ſua fata querelis.
Huc allecta loci facie pulcerrima ſeſe
Jntulerat Regina Paphi, quam Gratia triplex,
Quam feſtus comitatur Hymen petulanſque juventus
Nec lacrimæ faciles iræque & pallor amantum
Et ſpes immodicæ deſunt, fallique paratæ
Credulitas, nunquamque ſui ſecura voluptas.
Omnis odoratis tellus depingitur herbis,
Nec metuunt faciles brumalia ſidera flores.
Sponte ſua laxatur humus ſecura pruinæ,
Teſtaturque ſuæ præſentia numina Divæ.
Hic puer Idalius demiſſis leniter alis
Conſtitit,& magna compellans voce parentem,
Vicimus, ô genitrix, inquit. Par maxima regnis
Acceſſit mihi victa tuis. Modo tempora circum
Victrices hederæ ſerpant & conſcia myrtus.
Blandaque purpureos connectat Gratia flores
Feſtivis adjuta ſororibus. Ille Gradivi
Bellonæque comes, quem non tetigere ſagittæ
Nec Paphiæ tanto læſerunt tempore flammæ,
Succubuit totuſque in molles ſolvitur ignes.
Illi indignanti fruſtra ſtrepitumque cienti
Oſſa per & pectus telum penetrabile fixi.
Hinc animoſubitus furor incedit. Haria ſenſus

Una

Una tenet Batavas inter pulcherrima nymphas.
Illam non Helene, non vinceret Inachis Io,
Non Clario dilecta Deo Peneia Daphne.
Et quicquid veris fingens majora vetuſtas
Tradidit antiquis per longa volumina chartis,
Hac minus eſt. Tali facie decorata ſuperbit,
Quali cum primum tenebris fugientibus exit
Phoſphorus aut ſurgit mutato nomine Veſper.
Accedunt mores & quam non dicere poſſum
Candida ſimplicitas, caſtæque modeſtia frontis
Et quicquid ſapienter amet non vanus amator.
Tu modo Diva parens felicibus annue cæptis
Et votis accede meis. Potiatur amata
Bochovius fidi pretium ſortitus amoris.
Diva refert: Equidem, Divum fortiſſime, dudum
Telis facta tuis crudelia vulnera vidi
Bochovii tantoſque fui miſerata labores.
Et fateor nec, Nate, pudet. Sed tempora votis
Deerant æqua meis. Nunc ſtat præcidere cunctas
Nate moras, dignamque viro conjungere Nympham.
Mecum feſtus Hymen, mecum Matrona Tonantis
Ibunt, & Charites evinctæ tempora myrto
Atque chorus levium comitabitur omnis Amorum.
Dixit, & auratos inſcendit Cypria currus
Ad nuptam properans. Juſſæ venere columbæ
Et Dominam levibus vexere per aëra pennis.
Illa domum notique petit penetralia tecti,
Qua rutilis late fulgebant alta columnis
Atria. Pone decens Virgo juxtaque ſedebat
Bochovius, duram ſi flectere poſſet amatam,
Hic Regina Paphi; Nympha, mea maxima cura,
Noſter amor, Nymphe pulcerrima, deſine tandem
Nec lacrimis flecti nec tantis velle querelis.
Durities teneris non convenit illa puellis
Immiteſque animi. Satin' ô crudelis, amantem
Uſque mora & longo torſiſti ferrea voto.
Quod ſupereſt thalamis juncti communibus ite
Vinclaque per feſtas ſociate jugalia tædas.

Hæc ait. Illa genas tenero ſuffuſa rubore:
Cedimus imperioque tuo parere fatemur,
Diva potens, tandemque ſua potiatur Amator,
Quam toties meruit. Mox collum invadit Amantis
Auſpiciumque ſui thalami tria baſia figit.
At Charites Paphiis prætexunt limina ſerris
Inſternuntque altos thalamos. Stat pronuba Juno
Et ſocero plures promittit Diva nepotes
Et natæ felicem uterum. Nec quæritur abſens
Uraniæ ſoboles, feſtos quæ ventilet ignes,
Et bis ïo vinclo dicat bona verba jugali.
Tum geminas plectit Concordia læta corollas
Pectoraque unanimi jungit concordia nexu.
Felices animæ, quantum dare numina poſſunt
Contigit, & votis feliciter annuit æther.
Felices animæ, vobis pulcerrimus inter
Sidereos Lunæ comites jam deſerit Oetam
Heſperus & totum colluſtrat lumine cœlum.
Sollicitis toties votis animoque petitum
Tempus adeſt. Hoc, Sponſe, tuum eſt. Nox furva diebus
Una tibi cunctis potior nox æquore ſurgit
Et totum involvit tenebroſo tegmine mundum.
Illa optata ferens tibi gaudia nomen utrique
Ablatura venit. Quo præmia fida laborum
Dulcia naſcantur genialis germina lecti.

EPITHALAMIUM
HENRICO MONIX
ET
SARÆ DE WITH.

NOx beata, nox diebus
Omnibus beatior.
Nox Deæ ſacrata matri
Mollium Cupidinum:

Quim

Quin humum tenebricoſo
  Convolutam pallio
Lenta quin invadis omnem ?
  Quid moraris exequi
Imperata, quæ Dione
  Dictat è celſo throno ?
Ecce ſponſus tarditatem
  Triſtis incuſat tuam.
Quid moraris ? ecce ſponſus
  Fidi amoris præmia
Jam diu promiſſa, tandem
  Poſtulat præſtarier
Ille fructus, & redhoſti
  Menta luctus, quem tulit
Inter imbres & procellas
  Complaceret ut ſuæ,
Jam diu promiſſa tandem
  Poſtulat præſtarier.
Vos faces cœli micantes
  Dulcis aſtrorum cohors,
Tuque ſiderum minorum
  Prime ductor Heſpere
Advenite non morati,
  Pellite inviſum diem
Et jubete ſolem abire
  Pronum ad Heſperias aquas.
Fallor ? an tegi tenebris
  Incipit tellus ſuis ?
Et Cupidini ſacratas
  Veſper accendit faces ?
O amantes, veſtra jam nunc
  Appropinquant gaudia.
Jam cubile perſonabit
  Oſculis, amplexibus.
Sponſe, venit, ſponſe, venit
  Tempus illud aureum.
Hora venit, Hora ſuavis,
  Hora fida amantibus.

Nunc

Nunc agendæ ſponſe, partes
Gnaviter tibi tuæ.
Vos, puellæ, conjugalis
Fulcra lecti ſternite
Virginemque mox futuram haut
Virginem deducite.
Nunc agendæ, ſponſe, partes
Gnaviter tibi tuæ.
Sponſe, ſponſam colligatam
Brachiis liventibus
(Arbitris abire juſſis
Et procul faceſſere)
Oſculare mille (nullus
Invidebit) oſculis.
Quæ ſuperſunt perpetranda
Nuptialibus ſacris,
Illa ſolus, eumque ſola,
Nocte conſcia, geras.

EPITHALAMIUM
JOHANNI JUNIO,
ET
LEVINÆ STAVENISSIÆ.

JAm tua ſublimes abſolvit gloria metas,
Atque habuit partes prima juventa ſuas.
Ultima nunc tantis quæ defuit unica fatis,
Juniade, votis æqua puella venit.
Sic uni ſors tota favet. Sic ſidere læto
Dirigit in melius omina cuncta Deus.
Gloria Toxandras inter Staveniſſia Nymphas
Venit in amplexus, Nympha petita, tuos.
Quam pia mens ignara doli, quam gratia vultus,
Commendatque animi nobilioris honos.

Omnia

Omnia quæ ſapiens unquam ſperaſſet Amator
Una tui juris dum tenet, unus habes.
Sic binos non cœcus Amor conjungit Amantes.
Et ſtabili jungit pectora bina fide.
Nec jungit peregrinus Amor. Diffuſa per omnes
Junia progenies, qua patet Honta, plagas.
Qua mare Toxandros vaſtis amplectitur undis,
Materiem generi ſufficit una ſuo.
Illa tibi jam, ſponſe, domum deducitur. Illa
Sponſe, tibi ſubolem jam genitura, venit.
Jam tibi felices veniunt ex æthere Divi,
Limina jam ſervat cum face feſtus Hymen
Et magni matrona Jovis. Procul omina cedunt,
Quæ viridis vulgo judice Majus habet;
At tibi, communi qui nomine conferat omen,
Junius è cœli vertice miſſus adeſt.
Hic tibi felicem deducit ab æquore noctem,
Gaudia quæ dudum, ſponſe, petita ferat.
Ulterius vetat ire Venus. Hic, ſponſe, moramur.
Diva jubet tenebris hæc ſua ſacra tegi.
Nox ea, ſponſe, tua eſt. Nec longe exempla petantur.
Hæc avus, hæc genitor jam dedit ante tuus.

NUPTIIS
CHRISTIANI RODEMBURGI,
ET
N. GÖJERÆ,

QUem Themidi primos ſacratem vidimus annos
Et Latii leges edidiciſſe fori,
Ipſa Themis ſtupuit quem Trajectina loquentem,
Dum dubios juris ſolveret ore ſinus
Nunc totum tenero ſeſe transſcribit amori
Et Trajectinas diſcit amare Deas.

Nunc

Nunc alias leges alius meditatur & idem,
  Alterius gaudens diſcere jura fori ;
Jura fori Paphii,ſed & hæc non mollia : certe
  Non minus hæc illis aſperitatis habent.
Hæc quoque ſcripta dedit ſolis vigilantibus olim,
  Signaret tabulis cum Venus illa ſuis.
Odit Amor ſegnes. Odit Venus. Hæc tua cura eſt.
  Utraque ſic verſas jura labore pari.
Sic Latiis Paphias, juvenis cultiſſime , leges
  Addis,& à gemino pulvere nomen habes.
Utraque jura tuo jam ſunt exhauſtà labore
  Et meritis ſummus nil niſi reſtat apex.
Diva Themis meritos olim conceſſit honores
  Imponens capiti laurea ſerta tuo.
Diva Venus confert Paphias pia munera myrtos ;
  Præmia cultori debuit illa ſuo.

Leydæ CIϽ IϽC XLI.

AD
CASPAREM KINSCHOTIUM
PATRUELEM
CUM
MARIAM BRIEL
domum duceret:
Delphis Batavor. die VI. *Eid. Octob.* CIϽ IϽ C XLVI.

DUm tibi, Kinſchoti,pretium contingit amoris
  Jam meritis tandem victa Puella tuis,
Lætaque felices accendit Gratia tædas,
  Et Venus & Veneris conſcia turba favet.
Vota damus tantum.Quid enim queat addere votis,
  Quem procul à patria non ſua terra tenet ?

Quem

Quem ſperata diu, noſtroque incognita mundo,
Aurea Pax, bellis impoſitura modum,
Sidereos dubia monſtrans ſub imagine vultus,
Alligat ignotis imperioſa locis?
Nec licet ad Batavas leviter deflectere terras,
Gaudia nec lucis tanta videre tuæ.
Nec licet ad thalamum refugam deducere Nuptam,
Ad thalamum duci ſic tamen illa velit.
Vota licet nobis tantum dare. Vota ſuperſunt,
Terminus hic noſtri ſolus amoris erit.
Vota damus, ſed non communia, nec cupit ardor
E media populi fæce petita tuus.
Poſcimus, Unanimos quæ nunc bene jungit Amantes
Non niſi ſupremo diſſoluënda die,
Jungat ut infeſtos eadem Concordia Reges,
Et redeat pulſo Marte reducta Quies.
Magna peto, Superi, ſed juſta favete petenti:
Omina ſucceſſum ſint habitura ſuum.

Monaſterii in Weſtphalia.

AD
JACOBUM VANDER DOES
CUM EI NUBERET
CAROLINA KINSCHOTIA.

Hagæ prid. Eid. Octob. CIƆ IƆ C XLVIII.

FElix Sponſe, cui Parens Amorum,
Votis æqua tuis, diu merenti
Jam tandem parat ultimum triumphum;
Optatum tetigit carina portum,
Jacta eſt anchora, nec times procellas,
Nec ultra mare ſæviens, nec imbres.
O quæ gaudia, Sponſe, qui beatæ
Noctis te vigilem manent labores!

Molli

Molli gaudia gratiora ſomno!
Cedat ipſa quibus quies, labores!
Te Kinſchotia pulchra duplicatis
Pertinaciter implicabit ulnis.
Nec ultra oppoſita manu repellet
Innocentia baſia inferentem,
Nec vultum male ſubtrahet procacem.
Sed te jam petet ipſa, multa & ultr
Dabit millia baſiationum,
Ad inſtar ſegetis Catullianæ,
Ipſa virginitas amata tantum,
Quo nullum pretioſius puellæ
Credunt pignus habere, habentque noſtræ.
Grata victima, nec negante Sponſa,
Immolabitur Optimæ Dearum.
O felix nimis, ô beate Douſa,
Tu ſuſpiria longa, tu querelas,
Tu curas, lacrimaſque, tu dolores
In dulci Dominæ ſinu recondis,
Dum nos in mediis vagamur undis,
Incerti regionis & viarum,
Et quo fata ferant amica greſſum,
An venti fragilem minus ſecundi
Impingant ſcopulis ratem malignis.

FRANCONI GOESIO, ET ANTONIÆ FORESTIÆ,

ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ ΔΙΕΓΕΡΤΙΚΟΝ.

Dictum Poſtrid. Kal. Octob. 1647.

FElices Animæ, quas fœdere junxit honeſto
Indivulſus amor, queis præmia juſta laborum
Et pia communis tribuit ſolatia lectus,
Si ſanctæ Veneri, ſi conceſſis Hymenæis

Indul-

Indultum ſatis eſt, & tu, curaſque, doloreſque,
Exlachrymas, & ſollicitæ ſuſpiria mentis,
Sponſe, Cupidineis (nec enim dubitabimus) armis
Ultus es, & toto tibi gaudia pectore ſerpunt,
Nec tu, pulchra, queri (quamvis pudor ora genaſque
Sidereas roſeo perfundat plurimus igni)
Sponſa, nec ignavos potes accuſare lacertos,
Surgite: jam medium laxis emenſus habenis
Phœbus iter cœli, ſpatiis æqualibus ortum
Liquit, & extremæ gremium petit Amphitrites.
Cernitis, ut lectæ redeant ad ſacra puellæ?
Ut juvenes Paphiæ repetant ſolennia pompæ,
Virgineoſque choros, & gaudia, quæ ſibi Phœbus
Dividit, indulget ſed enim potiora ſorori?
Surgitis? An noſtras potius ſpectare choreas
Ante juvet, dapibus dum menſa inſtructa ſuperbis
Fulgeat, & vino genialia pocula ſpument?
Dicemus juvenes, dicent bona verba puellæ,
Aut mala; Libertas hæc eſt conceſſa puellis,
Dicite formoſæ: debetur prima puellis
Gloria dicendi: Juvenum mox vota ſequentur;
  Sponſa, puellaris digniſſima gloria turbæ,
Dum tibi libertas, Batavis dum culta puellis
Virginitas illæſa fuit, nec durus Amator
Te potuit gremio dilectæ avellere Matris,
Tantane te generis cepere oblivia noſtri?
Ferrea, fortunæ nimium ſecura prioris!
  Tu potes imperiis rigidi parere mariti,
Et comitum dulces, ingrata, relinquere cætus?
Tu potes hybernas maleſana ex ordine noctes
Exigere inſomnes, ſolique relicta marito?
Unde tibi veniunt faſtidia tanta quietis?
Ferrea, fortunæ nimium ſecura prioris!
  Tu mala conjugii, triſtiſque incommoda ferre
Longa puerperii, queruloſque in limine primo
Infantum poteris gemitus audire tuorum.
Oraque perpetuo ſpectare madentia fletu?
Quid juvat immenſos arceſſere ſponte dolores?

Ferrea, fortunæ nimium ſecura prioris!
Sponſa, vale; non tu Batavam permiſta choreis
Virgineis pulſabis humum, qua nobilis Hagæ
Sylva latus cingens ingentes explicat umbras:
Nec tibi ſerta legent patriæ victricia Nymphæ.
Gaudia dum thalamo præfers tua cuncta jugali,
Sponſa, vale; ſecura tui, ſecura tuarum.
Dicemus juvenes: jam conticuere puellæ.
Sponſa, Batavarum quondam decus innuptarum,
Nunc nuruum, pulchris quam de tot millibus unam
Legit, & æterno ſecum devinxit amore
Magnus avis, major pretio virtutis Amator,
Exige jucundam feliciter exige vitam,
Digna Parente Nurus, digno ſociata Marito.
Ille tibi, hybernæ ſolatus tædia noctis
Longa, dabit ſegnes facile excutientia ſomnos
Mollia baſiola, & non virgineos amplexus,
Gaudia non nuptis tantum male nota puellis.
Exige jucundam feliciter exige vitam,
Digna Parente Nurus, digno ſociata Marito.
Non tibi longa ferent tardi faſtidia menſes?
Protinus accurret facilis Lucina labori:
Et puer, aut pulchræ certiſſima Matris imago,
Protinus innocuo vertetur ad oſcula riſu.
Exige jucundam feliciter exige vitam,
Digna Parente Nurus, digno ſociata Marito.
Sponſa, tua felix ſorte utere. Quo tibi luſus,
Virgineique chori? Quo ſerta tegentia frontem?
Conceſſit potiora tibi ſi Mater Amorum,
Idalios luſus, & myrtea ſerta, choroſque,
Et jucunda viro genialis jurgia lecti.
Utere ſorte tua, digno ſociata Marito.
Diximus? An cupient jam reſpondere puellæ?
Diximus: & teneræ dudum dixere puellæ.
Vota tamen teneris jungemus noſtra puellis,
Et ſimul unanimem tollemus ad æthera cantum:
Vivite felices, nec tædia, nec mala mentis
Jurgia conjugii communia fœdera ſolvant,

Nec

Nec longævus Amor fato propiore fatiſcat.
Goeſia longorum numeret domus inde nepotum
Immenſam ſeriem, geminis quæ digna Parentum
Stirpibus, illuſtres ornet virtute penates,
Jura regat, leges populis & fœdera dictet.
Felices Animæ, nos vota peregimus, & jam
Surgere tempus erat: thalamo nos ilicet alto
Egredimur, dapibus dum pridem menſa ſuperbis
Inſtruitur, celereſque apportant vina miniſtri.
Surgite. Venturæ referent ſua gaudia noctes.

IN NUPTIAS ANDREÆ GOESII ET MATHILDIS DOUBLETIÆ.

Vicit Amor. Deus, ecce, Deus, cui celſa Cythera,
Cui Paphos, atque Amathus, Golgique & Cypria parent
Regna, venit, niveiſque invectus oloribus Hagam
Intrat, & auguſtis dominum ſe ſedibus infert.
Ille ſuis Batavûm Tempe formoſa triumphis,
Ipſa quibus, riguis Peneus quæ dividit undis,
Prata, nec Elyſii poſſint contendere campi,
Eligit. Amiſſæ reparat vicina juventæ
Terra decus, tiliæque novis ſe frondibus ornant.
Ipſa etiam, quamvis jucunda receſſerit æſtas,
Cedere vellet hyems, & nubila tempora differt.
Cernitis, ut nitidas formoſius explicet alas?
Ut frontem nova ſerta tegant? Ut fortior arcus
Pendeat ex humeris, & inevitabile telum
E pharetra meliore ſonet? Ut dulce ſerenus
Rideat? Ut toto teſtetur gaudia vultu?
Ipſe manu tenera volucres complexa jugales
Lora tenet. Summos ſublimior occupat axes
Goeſius, innumeris cujus virtutibus omnem

Inſtruxit gaviſa Paphi Regina paratum,
Et Nymphæ comites, & triplex Gratia currum
Aſperſere roſis, & ſuave-rubente Hyacintho.
Mille pharetrati fratrem comitantur Amores.
Pars circum volitant currum; pars ordine longo
Sacra Cupidineæ ducunt ſolennia pompę.
Expediunt arcus alii, manibuſque protervis
Vulnera mille ferunt. Tepidis hi mentibus ignes
Subjiciunt, adduntque faces, augentque furores.
Illi innixi humeris portant ingentia vaſa,
Plurima quæ Paphii ſervant myſteria cultus.
Hæc lachrymarum imbres, miſerorum munera Amantum
Illa tenent riſus, &, queis haud fortius ullum
Eloquium; blandas animi ſine voce loquelas.
Hæc ſuſpiria longa & luctificos ſingultus,
Felices alia amplexus, atque oſcula claudunt,
Sicca, vel aſperſo leviter rorantia vino
(Qualia ſunt Batavis tantum haud ignota puellis:
Cætera pars mundi neſcit bona tanta, nec uſquam
Lætius innocuo pubes indulget amori.)
Succedunt curæ inſomnes, & gaudia læto
Quotquot in adverſo veniunt vel amore dolores.
Poſt dejecta oculos & honeſto tincta pudore
Aurea Virginitas, thuris cui nuper honores
Iuris Sponſa ſui caſtis adoleverat aris,
Vincta manus niveas, duriſque onerata catenis
Ducitur. Incedit tanti pars prima triumphi
Flore vigens ævi Doubletia: qualis ad undas,
Liri, tuas roſa maturos jam nacta rubores
Formoſam feriem foliorum expandit, & ultro
Aut ſinui decus aut capiti cupientibus offert.
Illa puellarum certiſſima gloria, quotquot
Regali jucunda ſinu complectitur Haga,
Quam genus & mores; nullique ſecundus amœni
Oris honos, quam ſidereis certantia flammis
Lumina, mortali majorem ſorte Dearum
Inſeruere choris, ſpes irrita mille procorum,
Nec prece, nec lachrymis, longo nec amore, nec ullis
Il-

Illecebris patiens flecti, jam cedit amori
Mitior, & meritis digni & virtute mariti
Victa, triumphales ſequitur captiva quadrigas.
Interea, magnæ propius viſura diei
Lætitiam, venit alma Paphi Regina; triumque
Cincta choro Charitum, Nymphiſque fidelibus aureum
Cincta latus, Zephyris comitantibus, ore ſereno
Emicat, & vera dominam ſub imagine monſtrat.
Quæ ſimul egregiam vidit procedere Nuptam
More triumphatæ, nec vincula digna gerentem,
Deſilit, & mediis ereptam cœtibus alto
Imponit ſolio comitem ſibi. Mox ubi Nati
Sublimem currum celer attigit, ocyus agmen
Siſtit: at imperiis ſueti parere jugales
Agnoſcunt dominam nutuque feruntur habenæ.
Tum ſic orſa loqui tenerorum Mater Amorum:
Goeſi, ſi meritis tandem Doubletia cedit
Victa tuis, ſi noſter Amor tibi mille labores
Impendit, totaſque exhauſit ſæpe pharetras,
Pone animos, rebus nec tu felicibus ultra
Indulge, ſed enim mediis excede triumphis:
Haga ſatis novit, quanti poſt longa laborum
Tædia contigerint: alios paritura triumphos
Area te campuſque manent, felicia quo nunc
Bella vocant, quæ ſæpe mihi nec pulvere multo
Sordidus & poſitis infert Mars mitior armis.
Jam meus ætheria ſignum tibi tollit ab arce
Heſperus. Ite, Animæ felices; Illa quietem,
Illa dabunt vobis æternam prælia pacem.
Creſcet amor, ſumetque novas a tempore vires.
Sic ait, & lætos thalamis immittit Amantes.

GASPARIS KINSCHOTII

FESCENNINUS

AD

RULANDUM CARPENTERIUM, J. C.

Lectiſſima Sponſa

SARA LEISTERIA

potitum,

Dordrechti d. 8. *Kal. Jan.* A°. 1649.

Sara Cupidineas olim ſenſiſſe ſagittas
  Dicitur, & digno ſuccubuiſſe viro,
Ille & ſidereos amplexus dicitur artus,
  Baſiaque ambroſiis multa dediſſe genis,
Nulla tamen caſtus produxit germina lectus,
  Præmia nec Paphiæ nota fuere Deæ.
Seu fuerint ea tota viro ſervanda ſecundo,
  (Et debebantur tota, Rulande, tibi)
Seu potuit raptæ Dea virginitatis honorem
  (Si modo rapta fuit) ſic voluiſſe tegi.
Eſt aliquid, Batavis tantum quæ cara puellis,
  Poſſe vel unius virginitate frui.
Sara tibi duplici contingit nomine virgo.
  Sic geminæ ſpolium virginitatis habes.

ANDREÆ SCHADE

A WESTRUM.

ET

ANNÆ GLUMMER.

Sacris nuptialibus initiato pari Arnhemi die 18 *Feb.* 1649.

Inter honoratas pulcherrima Nympha Sicambras,
  Cincta decens primi veris honore caput,

Anna

Anna novas vires ignoti ſentit amoris
 Et mentem flammis carpitur inſolitis.
Inter honoratos genere & virtute Batavos
 Inſignis divæ muneribus Paphiæ
Andreas parili ſe tactum agnoſcit amore,
 Seque lubens dulci ſubjicit imperio.
Unicus Andreas animum caræ occupat Annæ,
 Unica & Andrean occupat Anna ſuum.
Anna ſuum Andrean mavult, quam munera Regum,
 Et rubri dites æquoris exuvias.
Andreas una inveniens ſua gaudia in Anna
 Non alias cupiat quærere delicias.
Tam feſtiva Puer vocat ad ſpectacula Divos
 Cyprius, & læti ſedibus e ſuperis
Applaudunt Divi, lævaque a parte ſerenum
 Intonat aurato Jupiter e ſolio.
Protinus æterno flagrantia pectora amore
 Non diſſolvendo fœdere jungit Hymen.
Quis magis optatos unquam conſpexit amantes?
 Præmia quis fido læta ab amore magis?

JACOBO VANDER DOES,

ET

MARIÆ VAN DER HAER,

Ritè conjunctis Hagæ, Poſtrid. Kal. Jun. 1649.

ITe, ô languiduli mei phalæci.
 Ite, & gaudia mille nuntiate,
Illi, quæ metuit diem cadentem,
 Et fruſtra metuit diem cadentem,
Quàm dignus modò poſſidet maritus
 Et dignis premet, & fovebit ulnis,
Ille flos jugenum elegantiorum,
 Quem tantum colit Haga, ſuſpicitque,
Naturæ, & genii artibus potentem,
 Illam, cui ſuperi nihil negarunt,

Quam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quam formæ decus,& venuſta morum
  Altis gratia ſedibus reponit.
Vos Douzæ, & Mariæ, pari beato,
  Vos tantis meritis, amore tanto
Digna gaudia, mentis inde noſtræ
  Pro Douzæ,& Mariæ ſalute junctâ
Sinceriſſima vota nuntiatum
  Ite, ô languiduli mei phalæci.

Finis Libri quarti.

Errores typorum, qui pauci ſunt, ſic corrige.

In Memoriæ Sacro.

Pag. verſ.

2 32 *Non noſtram obfuſcare queunt ea tædia mentem.*
3 14 mare; Dei tremendi maximique
4 10 Indico;
13 Hæc me morantem
6 20 quærunt viæ,
26 Inſomnis
7 26 Philomathi
8 20 flammæ
ult. incolumem
9 21 Sunt mihi cara duo formoſæ pignora natæ
  Nulli tacta viro, necdum ſociata cubili;
  Has capite,& veſtri ſint illæ meta furoris.
32 Tum gemiui juvenes Lothum (mirabile dictu)
14 14 malorum
32 dudumque
16 28 quietis
20 1 indigum
22 28 Euganeæque
28 9 Mænalis interea
29 16 quaqua
31 15 data

Digitized by Google

Digitized by Google